

ROBERT KILWARDBY

NOTULAE SUPER LIBRUM PRAEDICAMENTORUM

PROOEMIUM	3
LECTIO 1.....	6
LECTIO 2.....	12
LECTIO 3.....	13
LECTIO 4.....	16
LECTIO 5.....	18
LECTIO 6.....	21
LECTIO 7.....	31
LECTIO 8.....	45
LECTIO 9.....	63
LECTIO 10.....	72
LECTIO 11.....	78
LECTIO 12.....	88
LECTIO 13.....	93
LECTIO 14.....	109
LECTIO 15.....	114
LECTIO 16.....	116
LECTIO 17.....	119
LECTIO 18.....	138
LECTIO 19.....	142
LECTIO 20.....	144
LECTIO 21.....	150

PROOEMIUM

Cum sit necessarium ad eam quae est apud Aristotelem praedicamentorum doctrinam nosse quid sit genus et quid species, quid differentia, etc., et cum iam determinatum sit de his, consequenter descendendum est ad ipsa praedicamenta et determinandum est de ipsis. Est igitur, ut dicit
5 Boethius, scientia *Praedicamentorum* de X vocibus X prima rerum genera significantibus. Non enim est de vocibus penes diversas figurationes vocum quae sunt inflexio casuum aut temporum, set de vocibus in quantum significativae sunt, quae quidem significatio non absolvitur ab ordine, secundum quod dicit Boethius quod infinitam multitudinem rerum comprehendit Aristoteles in paucitate X generum. Et quia haec ordinatio non absolvitur a sermone, ideo dicit “de X vocibus”; et iterum quia haec ordinatio non est separata a rebus, nec speculatio de ordinabilibus erit separata a speculatione rerum sed coniuncta. Unde nec est inconveniens, ut quidam obiciunt, demonstrare quasdam
10 passionem de ordinabili in quantum est res.

Ex iam dictis, igitur, potest patere cui parti philosophiae supponatur, quia rationali aut sermociniali. Patet etiam de quo est intentio sive subiectum sive causa materialis. Causa autem formalis et
15 modus agendi idem sunt. Modus autem agendi est hic triplex qui in qualibet speciali scientia est necessarius, ut supra ostendimus, scilicet definitivus, diuisivus, collectivus; et est etiam hic quartus modus qui est propter addiscentes, qui tantummodo est utilis, qui dicitur exemplorum suppositivus.

Causa autem finalis patet ex subiecto: quia enim est ad talem finem, ideo est de tali subiecto; quia scilicet est ad definitionem, ad divisionem, ad collectionem, ideo est de ordinabili, sicut serra
20 quia est ad secundum, ideo est ex ferro. Sunt enim definitio, divisio, collectio in his X primis ut in materia, quod satis ostenditur per hoc quod nihil definitur vel dividitur nisi substantiale vel accidentale; per hoc etiam quod omnis syllogismus est ex terminis substantialibus aut accidentalibus. Si quis etiam subtiliter inspexerit, inveniet determinationem de X praedicamentis in tanto definitioni, divisioni, collectioni necessariam in quanto est determinatio coloris necessaria ad pertractationem
25 de visu. Patet igitur ad quid.

De causa autem efficiente, quia est extra, non multum curandum. Patet tamen de efficiente per titulum qui talis est: Incipit liber *Praedicamentorum* Aristotelis.

Dubitatur hic primo an sit scientia de generibus primis, et apparet quod non sic: <Peterhouse
206 - 42rb> quorum non est acceptio possibilis per causam, illorum non est scientia. Hec patet ex
30 definitione “scire”. Sed primorum generum non est acceptio possibilis per causam, cum sint principia ita quod non <Madrid, Bibl. Univ. 73 - 11ra> principiata: ergo illorum non erit scientia.

Praeterea, omnis scientia est alicuius generis subiecti; genera prima non sunt genera subiecta: ergo generum primorum non est scientia.

Cum hoc simul quaeratur hic qualiter intentio primi philosophi stat super haec et qualiter intentio
35 logici.

Ad haec igitur notandum: ad primum quidem dicimus quod generum primorum est scientia, et est illorum acceptio possibilis per causam. Cum enim unumquodque eorum ex materia et forma aggregatum sicut patebit in sequentibus, et ideo possibilis est eorum cognitio per sua principia. Et haec cognitio est propria primo philosopho; considerat enim in principiis substantiae sensibilis et consequenter in principiis substantiae insensibilis, reducens omnes substantias sensibiles ad insensibiles, et insensibiles omnes ad unam; considerat etiam in principiis quantitatis et aliorum generum, quaerens utrum sint eadem prima principia substantiae et aliorum vel alia et alia, determinans quod eadem sint proportionaliter et secundum analogiam. Sed iste modus non est conveniens logico, quia genera prima sint ei pro subiecto et partibus subiecti. De huiusmodi autem in scientia oportet supponere quia sunt quid sunt, passiones autem de eis per causas cognoscere. Et is est modus istius scientiae; supponit enim substantiam et quantitatem esse ex suis principiis, et de eis passiones inquirat et proprietates. Et de istis erit sermo in sequentibus.

Aliud contra obiectum solvitur per hoc quod genera prima subiciuntur respectu passionum quae de eis inquiruntur, et haec subiectio est respectu posteriorum; non sunt autem subiecta respectu priorum.

Et quod consequenter quaeritur solvitur per hoc quod intentio primi philosophi stat super haec propter relationem ad sermonem, intentio vero logici per relationem, quia primus philosophus considerat haec prout sunt partes et species entis, logicus uero prout in praedicatione et subiectione consistunt. Et praeter hoc intentio primi philosophi non stat super partes entis nisi in quantum reducuntur ad ens; intentio autem logici non stat super ens nisi in suis partibus.

Item, dubitatur consequenter an sit scientia una de generibus primis. Et apparet quod non: una enim est scientia quae est generis unius, et genera prima non sunt genus unum communicantia; quare illorum non erit una scientia.

Ad quod notandum quod unitas istius scientiae est ab unitate generis subiecti; genus autem subiectum est simplex sermo significativus, quae quidem significatio non absolvitur ab ordine, quae quidem ordinatio non est separata a rebus. Non sunt ergo genera prima secundum se distincta subiectum, sed magis ut sic ad unum dicibile, ipsum ordinabile, in quo etiam conveniunt <M 11rb> et uniuntur ipsa genera prima.

Posset etiam dici quod syllogismus est unitas istius scientiae et philosophiae primae. Est enim philosophia prima una ab unitate finis; non tamen est una quia sit generis unius, sed quia est eorum quae reducuntur ad unam materiam quae est ens substantia. Et similiter potest dici ex parte ista.

Quaeritur consequenter utrum haec doctrina tradatur per modum artis vel scientiae, et utrum per modum inventionis vel iudicii.

Ad primam quaestionem terminandam procedatur sic: modus scientiae <P 42va> consistit in speculatione passionum et proprietatum de subiecto et partibus subiecti. Et scimus quod similis est

modus istius doctrinae. Et quia modus artis et via ipsius est circa generationem; scientia autem praesens generat dicibile ex condicionibus secundum quas dicibile est ordinabile cum dicibili quatenus sequatur generatio interpretationis enuntiativa: erit modus et via istius doctrinae modus et via artis.

5 Sequens quaestio sic terminatur: inventio est quatenus fiat syllogismus, iudicium autem quatenus cognoscatur; relinquatur ergo quod inventio et iudicium essentialiter habent comparationem ad syllogismum. Quoniam autem non est sermo in parte ista de syllogismo secundum generationem aut cognitionem, erit huic scientiae extraneum tam inventio quam iudicium.

Sed dicendum quod hic est sermo de quadam parte syllogismi quatenus ex ea fiat syllogismus, non tamen proximo, et sic est hic modus inventionis.

10 Quaeritur quare cognitio totius confertur cognitioni partis. Patet quod hic est aliquo modo modus iudicii.

Et procedunt hae rationes, et sunt aliarum dissolutiones. Quae omnia concedimus. Nec traditur hic completa ratio disserendi: unde nec est modus istius scientiae modus inventionis, nec iudicii, set est modus artis et scientiae, et hoc secundum quod diximus.

15 Sequitur de comparatione istius scientiae ad alias partes logices. Dico ergo quod tota intentio logici stat supra syllogismum universaliter: unde secundum descensum istius et divisionem, descendit in suas partes. Partes autem syllogismi sunt dupliciter, scilicet priores ipso et posteriores: priores, materia et forma; et materia habet divisionem in possibilem et est dicibile simpliciter, de quo intenditur hic et dispositiva et est dicibile ordinatum cum dicibili interpretatione enuntiativa, de
20 quo intenditur in libro *Perihermeneias*; et praeter hoc in illam materiam quae est necessariam, et cum hac simul est forma, et sic est dicibile ordinatum cum dicibili in complexione duorum extremorum, de quo intenditur in libro *Priorum*. Partes autem quae sunt posteriores recipiunt differentiam: prima est syllogismus demonstrativus, de quo in *Posterioribus*; secunda, dialecticus, de quo in *Topicis*; tertia, litigiosus siue falsigraphus, de quo in *Elenchis*. Patet ergo divisio logicae et ordinatio
25 huius ad alias partes; quidquid enim superest de bene esse est.

LECTIO 1

Aequivoca dicuntur, etc. (1, 1a1) Quoniam scimus compositum cum sciamus ex quibus et qualibus componitur, et iste liber componitur ex partibus, necesse est non ignorare ex quibus et qualibus componitur. Dividitur igitur primo in tres partes, in quarum prima determinat principia praedicabilis sive antecedentia ad praedicabile; in secunda, ut ibi: *Eorum quae secundum nullam complexionem*, etc. (4, 1b25), determinat ipsum praedicabile; in tertia, ut ibi: *Quotiens solet*, etc. (10, 11b17), determinat quae consequuntur ipsum praedicabile. Et patet sufficientia et ratio ordinis per hoc quod tunc cognoscitur unumquodque sufficienter cognitis ipsum antecedentibus et suis partibus et speciebus et dispositionibus ipsum consequentibus. Iste etiam <M 11va> est debitus modus cognoscendi. Est ergo evidens partium dispositio.

Prima quidem harum dividitur in duas: in prima determinat antecedentia praedicabilis sive principia in se; in secunda, in comparatione, ut ibi: *Quando alterum de altero*, etc. (3, 1b10). Et patet sufficientia, cum pluribus modis non possit aliquid considerari; est etiam absolutum ante comparatum sicut rectum ante obliquum.

Et prima harum <P 42vb> in tres secundum quod tria sunt in constitutione praedicabilis secundum quod praedicabile est; est enim in praedicabili aliquid de voce, aliquid de intellectu, aliquid de re. Determinat igitur in prima parte principia praedicabilis sive antecedentia ad praedicabile quantum ad id quod vocis est; in secunda, ut ibi: *Eorum quae dicuntur*, etc. (2, 1a16), quantum ad id quod intellectus est; in tertia, ut ibi: *Eorum quae sunt*, etc. (2, 1a20), quantum ad id quod rei est. Et patet sufficientia ex iam dictis, cum non sint plura in constitutione praedicabilis secundum quod tale est. Patet etiam ratio ordinis, cum haec scientia secundum Boethium sit sermocinalis, cum sit de X vocibus, etc.: et ideo recte procedit a sermone ad intellectum, et ab intellectu ad rem.

Prima quidem harum adhuc in tres: in prima determinat de aequivocis; in secunda, ut ibi: *Univoca*, etc. (1, 1a6), de univocis; in tertia, ut ibi: *Denominativa*, etc. (1, 1a12), de denominativis. Et de harum partium sufficientia et ordine erit dubitatio.

Et quaelibet istarum dividitur in duas: in prima definit; in secunda definitionem declarat. Et patet sufficientia et ordo ex prius saepe dictis; ubi etiam incipiant et terminentur patet ex littera; littera etiam in se plana est. Patet igitur continentia, ratio ordinis et partium sufficientia quantum ad hoc quod determinat quantum ad id quod vocis est, nisi quod apparet quod prius habet determinare de univocis quam de aequivocis, per hoc quod unum est ante multa.

Dubitatur etiam quare solum determinat de aequivocis et univocis et denominativis, et non de multivocis aut diversivocis.

Ad hoc autem habendum utrum definiantur hic nomina aequivoca aut res aequivocatae.

Ad quod in primis respondemus quod res aequivocatae, et hoc rudibus inspecta littera potest patere. Unde sciendum quod de primis generibus possumus dicere quod aequivocantur sub his nomi-

nibus, “ens” et “unum”; et genera subalterna et species sub primis generibus in X univocantur; quaedam autem res aliorum generum ad genus quod per se est genus, scilicet ad substantiam, cadentes, et substantiam sunt denominantes, et denominativa dicuntur. Cum igitur non est pluribus modis res praedicabiles sub dictione considerare; haec enim in dicendo diversitatem faciunt: et patet
5 per iam dicta proirum partium sufficientia, scilicet quod sufficienter determinat de antecedentibus ad praedicabile quantum ad id quod vocis est. Et patet etiam ex iam dictis ratio ordinis, cum primo sint sub his nominibus, “ens” et “unum”, genera prima aequivoca; consequenter, genera subalterna et species sub nominibus primorum generum univoca; et ultimo, alia genera ad substantiam cadentia substantiam sint denominativa.

10 Ex iam dictis etiam patet quare de multivocis et diversivocis non determinat. Non enim diffinit nomina aequivoca aut univoca, aequivocantia aut univocantia, sed magis res aequivocatas aut univocatas sub nominibus. Unde nec de multivocis, nec de diversivocis habet hic determinare. Quia igitur in nomine duo sunt, <M 11vb> scilicet nomen et ratio a qua est impositio nominis, aut igitur erit nomen idem et ratio eadem, et sic univoca; aut nomen idem et ratio diversa, et sic aequivoca;
15 aut ratio eadem et nomen diversum, et sic multivoca vel synonyma, ut gladius, ensis, mucro; aut ratio diversa et nomen diversum, et sic sunt diversivoca, ut homo, lapis. Nec accidit aliqua dispositio ex parte dicibilis ex eo quod ratio est una et res differens vel econverso, propter hoc quod haec diversitas vel identitas est praeter relationem ad vocem, dicibile autem est habens relationem ad vocem.

20 Dubitatur hic consequenter qualiter possit nomen manere unum cum sit ratio differens. Ratio enim nominis est dans speciem nomini, et scimus quod si sit differens dans speciem, et erit differens quod recipit.

Item, si unum eorum quae dicuntur ad aliquid <P 43ra> recipit differentiam, et aliud tunc recipit differentiam, alioquin non diceretur ad aliquid omnino. Quoniam ergo signum et significatum ad aliquid sunt, si significatum recipit differentiam, erit et signum differens. Signum enim est nomen; significatum autem res quae subest. Si ergo differt quod est sub nomine, erit differens ipsum nomen.
25

Et idem adhuc apparet per hoc quod ea quae sunt in voce sequuntur ea quae sunt in anima, et ea quae sunt in anima, ea quae sunt in rebus. Erit ergo dispositio similis ex omni parte. Si ergo est multitudo ex parte rerum, erit multitudo ex parte vocum et etiam passionum.
30

Item, cum significatio dictionis sit perfectio eius, si unius dictionis sint plures significationes, apparet unius esse plures perfectiones. Ex iam dictis igitur nullum nomen esse aequivocum.

Ad hoc igitur notandum quod prima ratio non cogit propter hoc quod praeter rationem quae est ultima nominis perfectio est forma prior quae dicitur actus et forma significantis, quae remanet una

in aequivocis, et propter hoc nomen unum secundum quod dicitur nomen esse unum secundum materiam et formam.

Aliud solvitur per hoc quod in illis quae dicuntur ad aliquid, non secundum naturam sed ex proposito, non necesse est si unum recipit differentiam, et reliquum; et sic se habet vox respectu eorum quae sunt sub voce. Sed in hoc est dubitatio.

Tertium solvitur per hoc quod in quibusdam dispositionibus sequuntur ea quae sunt in voce ea quae sunt in anima et in rebus et ut in veritate et eius opposito, scilicet falsitate, et in quibusdam non, ut in unitate et multitudine, sed magis necesse est oppositum. Si enim debent res significari significatione completa, cum nomina sint finita, res autem infinite, necesse est uno nomine plures res significare: quare necesse fuit aliqua unitas ex parte nominis, et non sic ex parte rerum.

Quartum quidem solvitur per hoc quod significatio dicitur tripliciter: aut actus et forma significantis, aut ipsum significatum, aut comparatio signi ad significatum. Et sic est significatio qualitas; primo quidem modo est perfectio dictionis, et haec est una in omni dictione; secundo quidem modo non est perfectio. Unde nihil prohibet nomen sic unum, scilicet primo modo, habere plures significationes vel comparationes ad plura significata, prout dicitur significatio secundo modo aut tertio; nec erunt <M 12ra> propter hoc plura perfecta ab illis.

Ex iam dictis etiam apparet subtiliter intuenti quod ipsis aequivocis non est sola vox communis sed etiam significatio primo modo dicta, prout dicitur dictio aequivoca esse una secundum materiam et formam, et ideo operare actualem multipliciter. Unde dicit, *nomen commune* (1, 1a1), non “vox”, addendo hoc quod dico, *solum* (1, 1a1), vel ad excludendam orationem amphibolicam, vel ad excludendam orationem quae est definitio. Remanet igitur aliquod nomen aequivocum.

Nota autem quod non definit in singulari numero, quia semper sunt multae res sub uno nomine aequivocatae vel univocatae.

Sed tunc est dubitatio de denominativis, cum sit unum quod subiectum denominet.

Ad hoc ergo notandum quod ob hoc definit denominativa in plurali ut significet quod non tantum res unius generis sint denominantes substantiam sed res multorum generum.

Item, in definitionibus ponit hoc verbum, “dicuntur”, et non hoc verbum, “sunt”, quod maxime habet poni in definitionibus, ut plus significet per li “dicuntur” quam per li “sunt”. Unde sic habet exponi: *Aequivoca dicuntur* (1, 1a1), scilicet res sub dictione sunt aequivocatae, similiter univoca, similiter denominativa. Et exemplificat in aequivocis de homine vero et de homine picto, qui aequivocantur in hoc nomine, “animal”, aequivocatione quae dicitur transumptio vel analogia vel similitudo vel <P 43rb> ab uno ad unum. Lectulus enim et indumentum et unumquodque quod ab arte est, in quantum tale, aequivocum est.

Et ex his pertractanti potest patere quod definit hic aequivoca sive dicatur aequivocatio a casu, sive a consilio, sive ab uno ad unum, et sic aequivoca aequivocatione ut dicitur aequivocatio diversa

significatio. Si enim in dictis secundum analogiam sit nomen idem et ratio diversa, multo fortius in
aequivoce dictis a casu et a consilio, sive ex diversa significatione, scilicet principali. Nec definitur
hic aequivocatio ex consignificatione, cum huiusmodi aequivoca non sint dicibilia, et hic est inten-
tio, ut diximus, de his quae antecedunt ad dicibile quantum ad id quod vocis est. De aequivocis
5 enim et univocis et denominativis agit hic prout sunt differentiae dicibilis, non prout differentiae
nominis sunt. Unde nihil ad ipsum, ut diximus, de multivocis et diversivocis.

Item, nota quod sumitur hic “ratio” communiter ad rationem quae est vera definitio sive de-
scriptio, sive prout dicitur “ratio” sermo maioris declarationis quam nomen, sive pro qualicumquae
ratione.

10 Et cum multis modis sumatur “ratio” ab Aristotele --dicitur enim “ratio” ordinatio, “ratio”
proportio, “ratio” definitio, et multis aliis modis-- ut significet quod modo dicto dicitur hic “ra-
tio”, addidit “substantiae” ut dicatur *ratio substantiae* (1, 1a2, 4,7, 8-9), idest substantialis ratio,
idest ratio qualicumque modo indicans esse, sive potissimo modo, sive non. Isto etiam modo pos-
sunt dici individua habere rationem, et sic potest aliquid esse aequivocum illis; XV enim sunt modi
15 definitionis secundum Isidorum, de quibus alias dicemus. Modo etiam iam dicto sumitur “ratio
substantiae” in univocorum definitione; verius tamen dicetur ibi *ratio substantiae* (1, 1a7), idest
substantialis ratio.

Sequitur quaestio de univocis: quaeritur primo qualiter sit nomen unum speciebus oppositis.
Scimus enim per Aristotelem quod omne nomen imponitur a forma. Si ergo sit forma differens, et
20 nomen differens; set non est eadem forma speciebus oppositis sed alia et alia: ergo nec idem nomen.

Sed solvitur per hoc quod speciebus oppositis est uno modo forma una, <M 12rb> ut forma
communis, et est forma generis; alio autem modo non, et est forma propria, scilicet forma differen-
tiae per quam species est id quod est: et sic est uno modo nomen unum, alio modo differens.

Sequitur quaerere qualiter una natura generis possit salvari in oppositis speciebus. Cum enim
25 salvatur in specie una, est sub differentia et forma una; cum autem in specie opposita, est ens sub
differentia et forma contraria. Accidit igitur ad unam naturam generis simul subici formis contrariis,
et quia materia non est simul sub formis contrariis, et genus se habet ut materia, differentia ut for-
ma, non erit genus unum simul sub differentiis contrariis.

Sed solvitur per hoc quod natura generis non est numero una, et ideo possibile est ipsam simul
30 existere sub formis contrariis; materia autem est numero una, ut dicit Aristoteles, et ideo non est
possibile ipsam esse sub formis contrariis; nec est genus vere materia sed proportionale materiae, ut
supra notavimus in capitulo de differentia. Patet igitur ex iam dictis qualiter in univocis remanet
nomen idem et ratio eadem. Et sumatur “ratio” non per differentias quae sunt completivae speci-
erum sed quae est per genus et differentias priores, non autem per posteriores.

Sequitur quaerere cum univocatio in materia sit differens ab univocatione generis et speciei – quaedam enim communicant in materia, non autem in genere, verbi gratia, actio et passio-- propter quid hoc nihil de univocatione ex parte materiae.

5 Quod solvitur per hoc quod univocatio in materia est naturalis et non logicalis, et propter hoc de ea nihil ad propositum.

10 Quod autem dicitur in libro *De anima* quod animalis secundum unumquodque altera est ratio, non contrariatur huic dicto hic, *eadem est ratio*, etc. (1, 1a9-10). Aequivocatur enim ratio; secundum unamquamque speciem est alia et alia ratio quae est propria, non quae est communis facta per genus et differentias priores; uniuscuiusque etiam secundum numerum est alia et alia ratio, prout dicitur “ratio” naturae ordinatio, et intelligatur de ordinatione naturae particularis.

Sequitur quaestio de denominativis, et quaeritur primo qualiter differunt solo casu.

15 Et dicendum <P 43va> quod denominativa significant accidens ut habet relationem ad subiectum, et ita cum casu; principale vero significat idem praeter relationem ad subiectum, et ita sine casu. Et sic differunt *solo casu* (1, 1a12), idest sola cadentia ad materiam a principali.

20 Quaeritur consequenter cum denominativum fiat principali per mutationem quamdam, utrum fiat per mutationem quae est generatio aut per mutationem quae est motus. Non primo modo, quia sic maneret materia quae est vox; haec autem non manet penitus: nec secundo modo, quia sic maneret subiectum constitutum in esse transmutatum secundum passiones; sic autem non est in huiusmodi mutatione, cum sit denominativum a principali. Et simul cum hoc quaeratur propter quid manet vox una secundum principium, non autem secundum finem.

25 Ad haec autem dicimus quod secundum genus mutationis quae est generatio fit denominativum a principali; manet enim vox una secundum materiam et significatio una secundum materiam, et est forma differens a parte vocis et significationis. Manet enim vox una secundum principium et differens <M 12va> secundum finem. Finis autem erat forma vocis. Manet etiam significatio una secundum materiam et radicem, diversificatur autem secundum modum et formam; unum enim, ut diximus, significat cum casu, reliquum autem sine casu. Concurrent igitur ista ad denominativum: identitas vocis et significationis secundum materiam et diversitas secundum formam. Unde exigitur convenientia nominis in principio, differentia in fine. Duo ergo primo dat intellegi per hoc quod dicit, *solo casu*, duo alia per hoc quod dicit, *differentia* (1, 1a12-13), et per hoc membrum, *habent appellationem* (1, 1a13), quia differentiam per primum, convenientiam per ultimum. Si igitur horum aliquid defuerit, non erit denominativum: quare manifestum est quod “musica” secundum quod est adiectivum non est denominativum ab hac dictione, “musica”, secundum quod est substantivum, sed est nomen aequivocum.

35 Post haec quaeritur quare logicus aliter appellat denominativa quam grammaticus et opposito modo.

Et dicendum quod grammaticus attendit derivationem et formationem: unde quae prima sunt in derivando simpliciter ponit esse prima. Quoniam ergo a “iusto” formatur “iustitia”, scilicet a genitivo, “iusti”, addito “-tia” fit “iustitia”, propter hoc “iustitia” est denominativum a “iusto”. Sed logicus non considerat huiusmodi proprietates sed prioritatem vel posterioritatem in essendo vel in
5 causando, et in hac via est prius “iustitia” “iusto”.

Item, nota quod denominativum dicitur tripliciter: communiter, omnis vox transformata ab alia sive derivatione sive declinatione; proprie, omnis vox transformata ab alia derivatione; magis proprie, quando vox transformatur a voce tamquam concretum de abstracto, et ita sumitur hic. Uno ergo modo dicuntur omnes obliqui et omnia derivativa denominativa.

10 Sequitur quaestio utrum possibilis sit denominatio in genere substantiae sicut in genere accidentis. Et apparet quod sic per hoc quod denominativum significat aggregatum ex materia et forma, principale formam solam. Istud autem possibile est in substantiae genere; verbi gratia, “homo”, “humanitas”: possibilis igitur erit ibi denominatio.

Contra hoc est quod denominativum significat formam ut est ens in alio, principale autem ut est
15 per se ens, et istud solum est possibile in accidentibus: non erit igitur possibilis denominatio in substantiis.

Quod concedimus: solum enim est possibilis differentia denominativa in accidentibus, et forma principalis a qua denominatur subiectum. Et causa est quia talis forma est forma consequens subiectum constitutum in esse; forma autem substantialis non sic consequitur, sed est in constitutione
20 substantiae: sed accidentalis solummodo consequitur. Et est contra obiectum argumentum <P 43vb15> ab insufficienti, ut patet per aliam rationem intuenti.

Quaeritur etiam hic, cum omne nomen imponitur a forma, quam contingit significare absolute, ut hoc nomen, “album”, imponitur a forma absoluta quam contingit significare per hoc nomen, “albedo”, si hoc nomen etiam, “albedo”, imponatur a forma quam contingit iterum significare abso-
25 lute; quoniam si sic, erit processus in infinitum, quod est inconveniens.

Resistendum est igitur et dicendum quod in abstractis non est possibile significare formam per nomen aliud a nomine abstracto –formam dico a qua est nominis impositio—in concretis tamen et aggregatis est possibile: nec sequitur ex his infinitas.

LECTIO 2

Eorum quae dicuntur, etc. (2, 1a16) Haec est pars quae determinat antecedentia ad praedicabile quantum ad id quod intellectus est, et continet quamdam divisionem bimembrem et eius exemplarem declarationem, et per hoc dividitur. Et patet ordo et sufficientia ex saepe dictis in consimili. Et est divisio quod quaedam dicuntur cum complexione, et quaedam sine; et declaratio exemplaris patet in littera. Et praordinatur illud membrum dividendum quod dicitur *secundum complexionem* (2, 1a16), quia et si aliud quod est incomplexum est prius quam id quod est complexum, incomplexum tamen in ratione incomplexi est posterius, cum sit privatio complexi, et privatio est posterior quam suus habitus.

10 Ex praedictis autem pateant solutiones harum quaestionum quae solent hic quaeri: propter quid divisio hic data non ponitur in principio istius libri, cum tria praedeterminata contineantur sub altero dividendum; et etiam propter quid dat hic hanc divisionem, cum magis congruit libro *Perihermeneias*. Ex praehabita enim divisione patent haec omnia, cum hic intendat determinare quantum ad id quod vocis est, et intellectus, et rei, quae antecedunt ad dicibile.

15 Verumtamen, sciendum quod breviter pertransit hic hanc divisionem; magis tamen exquisite in libro *Perihermeneias*, ex maxime in tercio *De anima*, ubi determinatur de intellectu simplici et de intellectu compositionis.

Nota etiam quod bene dicit, *dicuntur* (2, 1a16, 17), cum determinet quantum ad id quod intellectus est, quia id solum intellegitur quod dictione designatur vel voce exprimitur. Et convenienter dat istam divisionem, quaedam *dicuntur cum complexione*, quaedam *sine* (2, 1a 16-17), cum determinat quantum ad id quod intellectus est, cum differentiae intellectus sint simplex, compositus. Et per “incomplexum” exprimitur simplex intellectus, et per “complexum” compositus.

25 Sed quaeritur hic, cum hic sit sermo de antecedentibus ad dicibile quantum ad id quod intellectus est, et complexum complexione quae est una unitate compositionis --verbi gratia, “Homo currit” --non est differentia dicibilis sed solum complexum complexione quae est una unitate differentiae ultimae --ut declaratur in *VII Metaphysicae*, sicut est definitio, verbi gratia, “animal rationale mortale”- vel complexum complexione quae est una unitate accidentali et non essentiali --verbi gratia, “homo albus” vel huiusmodi --quare ergo non exemplificat quantum ad differentias dicibilis.

30 Cuius ratio est quia haec est divisio, et debet esse per opposita, cum dicitur, *Eorum quae dicuntur*, etc. (2, 1a16), et maxime salvatur ratio complexionis in complexione quae est una unitate compositionis, et non similiter aliis modis: et propter hoc, secundum hoc decurrit via exemplaris.

LECTIO 3

Eorum quae sunt, etc. (2, 1a20) Haec est pars quae determinat antecedentia ad praedicabile quantum ad id quod rei est, et continet quamdam divisionem entis quadrimembrem et dividendum exemplarem declarationem, in qua sic procedit: primo ponit quoddam membrum cum sua exemplari declaratione constans ex affirmatione et negatione; secundo, aliud similiter cum sua exemplari declaratione, interserendo tamen quiddam -quia enim in primo membro cadit esse <P 44ra> in, antequam exemplificat, notificat esse in et constat huiusmodi membrum similiter cum sua exemplari declaratione, constans huiusmodi membrum ex affirmatione et negatione; tertio quidem ponit tertium membrum similiter cum sua exemplari declaratione, constans quidem ex duabus affirmationibus; quarto autem et ultimo ponit quartum membrum et similiter suam exemplarem declarationem, et constat ex duabus negationibus. Et secundum hoc, si placet, potest dividi in IIII particulas, quarum sufficientia et ordo patebit in sequentibus, cum dicetur de sufficientia huius divisionis hic datae. Plana est quidem continentia inspecta littera, nec est amplior continentia nisi quod entium quaedam dicuntur de et non sunt in, quaedam sunt in et non dicuntur de, quaedam dicuntur de et sunt in, <M 13ra> et quaedam nec dicuntur de, nec sunt in. Et patent exempla nisi quod notificat quod dixit quasi interserendo hoc quod dico, “esse in”, ut supra diximus, quod sic notificat esse in subiecto; dico quod cum sit in aliquo, non sit sicut pars est in toto, et impossibile est esse sine eo in quo est. Et terminatur haec pars quae determinat quantum ad id quod rei est.

Dubitatur primo de sufficientia huius divisionis hic date, *Eorum quae sunt*, etc. (2, 1a20): ad quam habendam quaeritur a quo sumitur divisio haec.

Ad quod notandum quod entis sive eius quod est, est una divisio in substantiam et accidens, et haec divisio entis est quasi aliquo modo in sui partes et species; et est alia divisio entis sed non eius quod est sed entis ordinabilis in genere, scilicet in universale et particulare, et dico, “entis ordinabilis”, propter primam essentiam quae, quia non est ordinabilis in genere, nec est universale nec particulare: et haec ultima divisio entis est in ea quae accidit enti. Unde et divisio entis ordinabilis participatur ab utraque dividendum in prima divisione quae est entis simpliciter: unde et est substantia universalis et particularis, et accidens universale et particulare. Sunt ergo IIII membra quae hic ponuntur per has differentias, “dici de” et “esse in”, eadem his membris, scilicet IIII iam dictis: posita enim hac differentia, “dici de”, ponitur universale; et ponitur hac differentia, “non dici de”, ponitur particulare; et posita hac, “non esse in”, ponitur substantia. Patet ergo a quo sumitur haec divisio.

Sed adhuc dubitatur, cum sint aliae divisiones entis, verbi gratia, in ens potentia et actu, unum, multa, etc., propter quid non tangit de his.

Cuius ratio est, quia determinat hic de illis quae antecedunt ad dicibile quantum ad id quod rei est; huiusmodi autem non sunt differentiae dicibilis sive ordinabilis sicut substantia et accidens,

quae sunt ordinabilis et sunt materia ordinationis in genere, et sicut universale et particulare, quae dicunt rationes ordinandi et etiam sunt differentiae dicibilis: quare nihil ad propositum de huiusmodi.

5 Sed adhuc quaeritur quare non dat has divisiones entis sic in substantiam et accidens et universale et particulare sed per harum circumlocutiones, per has differentias, “dici de” et “esse in”.

Et fortassis causa est ex nostra parte, sicut dici Averroes, quia per has differentias magis apparet divisio esse per opposita, sicut magis dividitur substantia per has differentias, “corporeum”, “incorporeum”, quam per has, “corporeum”, “intelligibile”.

10 Et patet sufficientia utriusque divisionis per praedicta, cum prima sit entis, scilicet eius quod est, secunda entis ordinabilis, ut diximus, et sic est utraque divisio entis completa; quia tamen altera est habens essentialem comparisonem ad alteram, bene poterunt aggregare in divisione una sicut est hic. Ex iam dictis sufficienter potest patere sufficientia divisionis hic datae.

15 Restat de ordine dividendum. Et patet per hoc quod primo ponit primam differentiam, quae est differentia dicibilis per modum univocationis, et tunc suum oppositum, et consequenter illam quae est differentia dicibilis per modum <P 44rb> denominationis, et tunc suum oppositum. Haec ergo quantum ad divisionem sufficientiant.

Sequitur quaerere quantum ad definitionem eius quod est esse in subiecto hic datam, et primo propter quid determinat per definitionem esse in subiecto, non autem alias differentias.

Et causa est quia “esse in “ dicitur multipliciter, non sic autem reliquae differentiae.

20 Deinde quaeritur quare magis separat istum modum ab illo modo essendi – in secundum quem dicitur pars esse in toto, quam ab aliis modis essendi- in. Dico enim: sunt modi essendi – in distincti ab Aristotele in capitulo de loco.

25 Ad quod dicunt quidam quod causa est quia maxime apparet <M 13rb> convenire cum isto modo essendi – in secundum quem dicitur pars esse in toto; apparet enim accidens sic esse in subiecto sicut forma in composito quae est pars rei.

30 Quidam autem aliter sunt dicentes quod quaestio supponit falsum; separant enim omnes modos, ut dicunt, per particulas positas in definitione ipsa. Per hoc enim quod dicit, *quod cum sit in aliquo*, etc. (2, 1a24), separat illum modum secundum quem dicitur totum esse in partibus: non enim dicitur totum esse in parte sed in partibus; per hoc ergo quod dicit sic in singulari, separat istum modum. Per hoc autem quod dicit, *non sicut pars in toto*, etc. (2, 1a24), separat tres modos, scilicet secundum quem dicitur pars esse in toto, genus in specie, species in genere; genus enim est pars et totum, ut praescripsimus. Per hoc autem quod dicit, *impossibile*, etc. (2, 1a25), separat tres reliquos, scilicet secundum quem dicitur motivum esse in moto, locatum in loco, aliquid in suo fine. Et sic separat omnes modos, et sic est recta definitio.

Sequitur quaerere de hoc quod dicit, *impossibile*, etc. (2, 1a25): contra hoc est quod ponit Porphyrius quoddam accidens esse inseparabile, quoddam non. Dicit enim hic Boethius, accidentia non posse permutari in sua substantia. Apparet igitur omnia esse inseparabilia.

5 Item, quaeritur hic qualiter est hoc quod accidens non permutat suum subiectum, cum videmus pomum diu in manu retentum remittere odorem suum, et sic permutare suum subiectum. Similiter est dubitatio de calore relicto in aëre igne remoto.

10 Ad haec igitur dicimus: primum quidem solvimus in Porphyrio in capitulo de accidente. Non ponit quod hic dicitur accidens non posse destrui, et sic non separari, sed ponit accidens idem numero non posse esse in diversis subiectis, nec posse manere separatum, quod verum est. Dicimus igitur odorem in manu adgeneratum esse passionem adgeneratam ex odore, passibili qualitate ente in pomum, et non est idem odor numero, et similiter est de calore. Et sic accidens non permutat substantiam; contingit tamen quod alteretur, et quod simpliciter perimatur.

LECTIO 4

5 *Quando alterum*, etc. (3, 1b10) Haec est pars in qua determinat principia praedicabilis secundum quod ad aliud comparatur, cum iam determinavit antecedentia ad praedicabile secundum quod in se consideratur. Et dividitur in duas penes duo principia, quorum primum ordinem rectificat praedicabilium in eodem genere, secundum in diversis generibus, et incipit secunda pars ibi: *Diversorum generum*, etc. (3, 1b16) Et patet sufficientia per hoc quod principium primum est ipsius dicibilis per modum univocationis, secundum per modum denominationis. Patet etiam per hoc ratio ordinis.

10 Et utraque dividitur in duas penes principium et exemplarem declarationem principii. Et patet sufficientia et ordo ex saepe dictis; plana est continentia littera inspecta. Et terminatur totalis pars quae determinat principia praedicabilis sive antecedentia ad praedicabile sive pars quae est de principiiis in hac scientia praesupponendis. Cum enim non sint nisi tria genera principiorum in hac scientia, nec in qualibet alia <P 44va> demonstrativa praesupponenda, scilicet definitiones, divisiones et communes animi conceptiones; et iam dedit definitiones cum determinavit quantum ad id
15 quod vocis est, et divisiones cum determinavit quantum ad id quod intellectus est, et quantum ad id quod rei est et tamquam communes animi conceptiones: in hac parte ultima, cum dedit principia praedicabilis secundum quod ad aliud comparatur, patet quod sufficienter <M 13va> determinavit quantum ad antepaedicamenta. Et sic terminatur pars de antepaedicamentis sive de principiiis praedicabilis.

20 Primum dubitabile de primo principio: cum istud principium secundum substantiam, *Quando alterum*, etc. (3, 1b10), determinatur in principio *Priorum* cum dicit Aristoteles, quando primum de medio et medium de postremo, necesse est primum dici de postremo, et similiter est hic, quae ergo est differentia?

25 Ad quod dicendum quod istud est magis universale, illud magis particulare: nam istud principium stat supra subiectum et praedicatum, et abstrahuntur a quolibet; illud vero non sic, sed stat supra subiectum et praedicatum ut sunt sub his differentiis, "primum", "medium" et "postremum". Nec est istud principium ordinans dicibile cum dicibili secundum modum enuntiationis, sed significat relationem dicibilis ad dicibile, quae est materialis respectu ordinis in interpretatione enuntiativa.

30 Consequenter quaeritur sic: si *Quando alterum de altero*, etc. (3, 1b10), ergo si homo est animal, et animal genus, ergo et homo erit genus, et sic videtur confirmare paralogismos accidentis.

35 Sed istud solvitur per hoc quod dicit, *ut de subiecto* (3, 1b10-11), idest quando aliquid dicitur de praedicato ut de subiecto, idest de iacto sub in eadem linea praedicamentali, et dicitur tunc de primo subiecto; sed sic non fuit in proposito paralogismo: contradicit ergo paralogismis et non confirmat.

Quaeritur etiam cum per hoc principium contingit inferre per modum affirmationis de inferiori quod dicitur de superiori, contingit ergo procedere a superiori ad inferius affirmando: istud ergo principium ponit locum a genere constructivum, quod est inconveniens.

5 Ad quod notandum quod hoc non est inconveniens in praedicatis essentialibus, in quibus decurrit haec propositio, sed in accidentalibus. Forma tamen localis non valet in talibus; resolutione tamen valet et de huiusmodi plenius dicitur in *Topicis*.

10 Sequitur quaerere de secundo principio, et sunt multae instantiae apparentes contra huiusmodi: prima de corpore quod ponitur species substantiae et quantitatis; secunda de scientia quae ponitur species relationis et qualitatis; tertia de quadrato quod ponitur differentia numeri et figurae; quarta de rectangulo quod ponitur differentia trianguli e quadranguli.

15 Dico ergo quod omnes hae instantiae sunt apparentes. Dicitur enim “corpus” aequivoce in substantia et quantitate: in quantitate enim dicitur ipsa trina dimensio, scilicet corpus quantitas; in substantia enim id quod determinat sibi trinam dimensionem, scilicet corpus substantia. Similiter, “scientia” dicta ad scibile species est relationis; ad scientem, species qualitatis. Similiter, “quadratum” non dicitur in numeris nisi transumptive, quia si depingatur numerus quadratus, erunt latera inscriptionis aequalia, ut bis duo. Similiter, “rectangulum” aliquo modo aequivocatur in triangulis et quadrangulis, cuius signum est quod “rectangulum” per se dictum numquam nominat triangulum; nominat tamen quadrangulum, per se positum.

20 Sed adhuc remanet instantia difficilis de hac differentia, “rationale”, quae est differentia in corporea substantia et incorporea, qua sunt diversa genera et non subalternatim posita. Hac ergo ratione coacti, ponunt quidam substantiam corpoream et incorpoream esse subalternatim posita, non quia unum ponatur sub altero, sed quia ambo ponuntur sub reliquo tertio, et sic dicunt Aristotelem intendere hic de subalternatione.

25 Quod credimus esse falsum. Unde dicimus, sicut praescripsimus in Porphyrio, quod rationale in incorporeis est per se accidens et non differentia, sed solum in corporeis. <M 13vb> Istud tamen latuit Porphyrio, ut credimus. Unde si quis respiciat Aristotelem et Averroem in VII, ponit istud necessario esse verum, cum sit aliqua differentia in aequae cum specie quam constituit, apta tamen nata dici de pluribus. Huic etiam concordat quod dicit Aristoteles, quod ultima differentia adveniens generi erit substantia solius rei.

30 Ultimo, quaeritur qualiter arguit quod quaecumque erunt differentiae praedicati, erunt et subiecti. Videtur enim <P 44vb> quod potius deberet arguere econverso, scilicet quod quaecumque erunt subiecti, et praedicati.

35 Et solvitur per hoc quod est et sic et sic: quaecumque enim sunt differentiae constitutivae praedicati, erunt et subiecti, et quaecumque divisivae subiecti, erunt divisivae praedicati. Et sic patet quod hic dicitur.

LECTIO 5

Eorum quae secundum nullam, etc. (4, 1b25) Haec est pars in qua determinat ipsum praedicabile, sive pars de praedicamentis, et dividitur in duas: in prima est sermo de dicibili in universali; in secunda, ut ibi: *Substantia*, etc. (5, 2a11), est sermo de dicibili in particulari. Et patet sufficientia per hoc quod non est pluribus modis considerare aliquid; patet etiam ratio ordinis per hoc quod sci-
5 mus universale esse prius particulari.

Pars autem prima adhuc in duas: in prima dat quandam divisionem X membra habentem et dividendium exemplarem declarationem, et secundum hoc potest dividi, si placet, et incipit secunda pars ibi: *Est autem substantia*, etc. (4, 1b27), et patet sufficientia et ordo ex saepe dictis in suo
10 consimili; in secunda autem, ut ibi: *Singula igitur*, etc. (4, 2a4-5), concludit quamdam passionem sive quamdam proprietatem de singulis dividendium, et ostendit. Et patet sufficientia per hoc quod non sufficeret prima sine secunda, cum ea quae determinantur in parte secunda multum conferant ad cognitionem determinantum in parte prima, ut patet intuiti.

Continentia quidem primae plana est, quae continet divisionem incomplexi in X praedicamenta
15 cum dividendium exemplari declaratione, non sic autem partis secundae, in qua sic procedit; primo, ponit conclusionem quam intendit, scilicet, concludit quamdam passionem de singulis dividendium, et est quod singula dicuntur sine affirmatione; secundo, istam ostendit, cum dicit, *horum autem*, etc. (4, 2a6), et secundum hoc potest dividi, si placet. Et patet sufficientia et ordo intuiti.

Cum igitur ostendit, duas dat rationes, et satis sufficiunt, et secundum hoc dividitur, et incipit
20 secunda ibi: *Videtur autem*, etc. (4, 2a7) De ordine quidem rationum non multum curandum est. Prima igitur talis: quorum complexione affirmatio fit, ipsa secundum se in nulla affirmatione dicuntur; singulorum praedictorum complexione affirmatio fit, ergo etc. In hac sic procedit: solum dat minorem, et patet maior.

Secunda autem ratio talis: omnis affirmatio est vera vel falsa; nullum praedictorum est cum ve-
25 ro vel falso, ergo nullum praedictorum est in affirmatione. In hac sic procedit: primo, dat maiorem, secundo, minorem cum sua declaratione exemplari.

Ex his quidem sic ostensis satis liquet singula esse incomplexa, et sic hic determinatum confert ad cognitionem praedicamentorum. Et quai etiam affirmatio est prior negatione, cum removetur af-
firmatio per consequens removetur negatio. Ex iam dictis igitur patet continentia istius partis, in qua
30 est sermo de dicibili in universali, et ratio ordinis partium et sufficientia.

Primum dubitabile de numero dividendium in ipsa divisione X membra habente, sive de numero praedicamentorum, qui potest sic accipi: <M 14ra> incomplexum aut significat substantiam aut
accidens, quia aut quod subsistit aut quod contingit; quod autem contingit substantiae hoc non po-
test esse nisi tripliciter, scilicet aut intra, aut extra, aut medio modo, et quocumque istorum modo-
35 rum contingat, semper necesse est habere essentialem respectum ad id cui contingit, scilicet ad sub-

stantiam; contingit autem ex parte substantiae materiae, aut ex parte substantiae formae, aut substantiae compositae; quod contingit igitur intra ex parte materiae quantitas est -- materia enim omnino numerabilis est -- ex parte formae qualitas, ex parte coniuncti relatio -- haec enim sunt quae intrinsece substantiae adveniunt -- quod autem contingit extra ex partemateriae ubi, ex parte formae quando, ex parte coniuncti habitus; quod autem contingit medio modo ex parte materiae passio, ex parte formae actio, ex parte coniuncti positio. His igitur modis se habet quod contingit. Quod subsistit autem est substantia. Substantia autem quia est per se ens et principium aliorum, est dispositio ceterorum ad causalitatem, et ideo remanet indivisa. Sic igitur in universo sunt X praedictamenta, substantia, quantitas, etc. Et patet sufficientia dividendum ex praedicta divisione.

10 Sed adhuc remanet dubitatio de huiusmodi divisione, scilicet quare non dividit primo incomplezum in substantiam et accidens, et tunc accidens in quantitatem <P 45ra> et qualitatem, etc.

15 Cuius ratio est ut significet unumquodque aliorum a substantia, in quantum est genus primum, esse substantiae coaequevum: propter hoc ergo descendebat divisio immediate in substantiam cum quolibet aliorum. Si enim primo fieret divisio in substantiam et accidens, consequenter in alia, apparet quod alia communicarent genus aliquod.

20 Sed adhuc remanet difficilis quaestio quare plura sunt genera ex parte accidentis et non sic ex parte substantiae. Est enim substantia divisibilis: alia enim materia, alia forma, alia compositum; et praeter haec, alia generabilis et ingenerabilis; et ingenerabilis alia sensibilis, alia insensibilis; et insensibilis alia adiunca corpori, alia non; et non adiuncta alia simplex, alia simplicissima, sicut est prima essentia quae est omnium prima. Apparet ergo plura esse genera ex parte substantiae sicut ex parte accidentis, cum substantia his pluribus modis se habet sicut accidens.

25 Ad istud igitur notandum quod substantia materia non potuit manere genus primum, tum quia sic de nullo diceretur, tum quia quodlibet genus primum est pars entis quod est ens actu; nec etiam forma, quia sic solum diceretur genus de abstractis. Et de hoc erit sermo in sequentibus. Ex quibus relinquitur quod substantia quae est genus primum erit substantia composita. Quia enim substantiae generabiles ad insensibiles reducuntur, generabiles etiam ad ingenerabiles, et insensibiles habentes coniunctionem cum corpore ad illas quae non habent, et non habentes entes ab alio ad id quod non est ab alio, propter huiusmodi comparisonem essentialem omnium ad invicem non ponuntur plura genera prima in genere substantiarum, sed est unum primum genus in genere substantiae. Nec erit
30 illud ad quod omnia alia, scilicet omnes substantiae reducuntur, ut supra notavimus. Prima enim essentia, quia non est ordinabilis in genere, nec est universale, nec particulare, sed necesse est ut sit substantia composita, ut supra diximus et in sequentibus dicemus.

Sed adhuc remanet dubitatio, cum natura accidentis egrediatur a principiis substantiae, non erit essentia accidentis per se ens praeter essentiam substantiae: nec erit igitur divisio conveniens <M

14rb> quae separat esse quantitatis et aliorum ab esse substantiae, quasi unumquodque esset per se ens.

Sed istud solvitur hoc quod referendo huiusmodi ad principia formalia, alia est essentia accidentis et cui accidit; referendo autem ad principia materialia nec est alia, nec per se ens: ponitur ergo
5 esse essentiae diversae secundum formam et non secundum materiam.

Sed adhuc remanet dubitatio, cuius fuerit haec divisio: *singulum incomplexorum* etc.

Et dicimus quod est divisio totius universalis in suas partes subiectivas, vel generis in species. Et non remane[n]t divisum ens vel unum, <et> substantia, etc. ea quae dividunt; sed remanet sermo simplex, sive dicibile sine complexione, divisum, et ea quae dividunt: sermo significans substantiam, etc., vel dicibile quod est substantia, etc. Nec valet hoc argumentum: singulum incomplexorum aut significat substantiam, etc.; “ens” et “unum” sunt huiusmodi; ergo aut significant substantiam aut etc. Contra: circumeunt omne; ergo in nullo sunt. Quod concedimus: non enim sunt divisa (*lectio dubia*) “ens” et “unum”, quia non sunt singula; vocat enim “singulum incomplexum” univocum (*lectio dubia*) dicibile.
10

Ex his etiam patet quod non sunt instantiae de dictionibus syncategorematicis, quia etsi sint singula incomplexa, non tamen sunt dicibilia. Nec est obiciendum hic quod quidam obiciunt, quod, cum sit sermo hic de dicibili, quis erit alius liber in quo erit sermo de subdicibili? Dicitur enim hic “dicibile” incomplexum ordinabile.
15

Et quia haec scientia est semocinalis, secundum Boethium, magis deciditur in partes sui subiecti ab eo quod est dici quam ab eo quod est esse. Unde magis dividit incomplexum dicibile quam ens. Et iterum, non descendit sua divisio in duo membra, scilicet in haec, subiectum et praedicatum, vel nomen et verbum, sed magis per X, ut sic faciat constare quod haec doctrina non est magis ad syllogismum quam ad definitionem, et quod subiectum huius non est terminus per se sed, ut dictum est, incomplexum ordinabile.
20

Nota etiam hic ad ultimum quod singula incomplexa dicuntur sine vero et sine falso, ut dicitur in littera, sicut dicitur verum et falsum in complexis, non autem in incomplexis; “verum” enim dicitur per prius et per posterius <P 45rb> de vero sic et sic, et similiter “falsum”.
25

LECTIO 6

Substantia autem, etc. (5, 2a11) In parte ista est sermo de dicibili in particulari, et dividitur in V: in prima est sermo de dicibili quod est substantia; in secunda, ut ibi: *quantitatis*, etc. (6, 4b20), de dicibili quod est quantitas; in tertia, ut ibi: *Ad aliquid vero*, etc. (7, 6a36), de dicibili quod est relatio; in quarta, ut ibi: *Qualitatem*, etc. (8, 8b25), de dicibili quod est qualitas; in quinta et ultima, ut ibi: *Recipit autem*, etc. (9, 11b1), de actione et passione et ceteris sermone aggregato. Et patet sufficientia per hoc quod non sunt plura praedicamenta. Quare autem de vi sermone aggregato patebit suo loco.

Primo igitur de substantia, quia est dispositio ceterorum ad causalitatem; de ordine autem aliarum patebit in exequendis. Pars de substantia dividitur in duas: in prima est sermo de ordinabilibus in genere substantiae et de eorum ordinatione; in secunda, ut ibi: *Commune autem*, etc. (5, 3a7), de proprietatibus et passionibus ipsa ordinabilia consequentibus. Et patet sufficientia <M 14va> per hoc quod pars prima determinat essentialia substantiae; secunda vero, accidentalia. Ex hoc etiam patet ordo.

Et prima istarum in duas: in prima est sermo de ordinabilibus; in secunda, ut ibi: *Manifestum est autem*, etc. (5, 2a19), de eorum ordinatione. Et non sufficeret prima sine secunda; cum enim determinetur de ordinabilibus, sequens est quaestio quae sit illarum ordinatio, et similiter sunt priora ipsa ordinabilia eorundem ordinatione.

Prima quidem harum adhuc in duas, quoniam ordinabilia sunt substantia prima et secunda. In prima igitur est sermo de ordinabili quod est substantia prima; in secunda, ut ibi: *Secundae autem substantiae*, etc. (5, 2a14), de ordinabili quod est substantia secunda. Et patet sufficientia, cum non sint plura ordinabilia. Patet etiam ordo; primum enim et secundum dicunt ordinem.

Et utraque harum adhuc in duas: in prima manifestat per viam universalem, scilicet per viam definitionis; in secunda, per viam particularem, scilicet per viam exempli. Et patet harum sufficientia et ordo ex prius dictis; ubi etiam incipiunt et ubi terminantur patet littera inspecta. Plana est etiam continentia, nec est amplior: primo enim definit primam substantiam et exemplificat de prima; et secundo, secundam exemplificat. Et terminatur tunc pars de ordinabilibus.

Et sequitur pars de eorundem ordinatione, et dividitur in duas: in prima est sermo de ordinatione ordinabilis quod est substantia prima; in secunda vero, ut ibi: *Secundarum vero substantiarum*, etc. (5, 2b7), de ordinatione ordinabilis quod est substantia secunda. Et patet harum sufficientia et ordo, eo quod non sunt plura ordinabilia, et intendit de ordinatione ordinabilium et hoc secundum ordinem ipsorum.

Et prima harum adhuc in duas: in prima facit quod iam dictum est, et dat ordinem ordinabilis quod est substantia prima; in secunda, ut ibi: *Alia ergo omnia*, etc. (5, 2a34), concludit quaedam

corollaria ex prius dictis consequentia. Et harum patet sufficientia et ordo ex saepe dictis in consimili divisione.

5 Pars autem prima quae est de ordinatione ordinabilis quod est substantia prima, quia eius ordinatio est ad secundas substantias, quae est per modum univocationis, et ad accidentia, quae est per modum denominationis, propter hoc duas habet partes: in prima est sermo de ordinatione primo modo dicta; in secunda, ut ibi: *Eorum vero*, etc. (5, 2a27), de ordinatione secundo modo dicta. Et patet ex iam dictis ratio ordinis et sufficientia per hoc quod alia a primis aut sunt secundae substantiae aut accidentia: non est igitur possibilis ordinatio primi ordinabilis ad plura.

10 In prima igitur parte unicam solam intendit conclusionem, quae continet ordinationem ordinabilis quod est substantia prima ad secundas, in qua sic procedit: primo ponit conclusionem quam intendit; secundo eam explanat per exemplum, et non demonstrat, quia vult eam demonstrari ex praedictis, scilicet ex hoc principio, *Quando alterum de altero*, etc. (3, 1b10). Est igitur haec ordinatio sive conclusio quam proponit: quod secundae substantiae dicuntur de primis secundum nomen et rationem, quod declarat exemplariter, ut patet ex littera.

15 In parte quidem secunda similiter unicam intendit conclusionem, quae continet ordinationem ordinabilis quod est substantia prima ad accidentia, in qua sic procedit: primo ponit conclusionem quam intendit; secundo eam explanat per exemplum, et non demonstrat, quia vult eam demonstrari ex praedictis, scilicet per hoc principium, *Diversorum generum*, etc. (3, 1b16) Est igitur haec ordinatio sive conclusio quam proponit quod accidentia in aliquibus, ut sunt particularia accidentia, neque dicuntur de primis nomine, neque ratione; in aliquibus autem, ut sunt universalia accidentia, solum dicuntur nomine et non ratione, quod declarat exemplariter, ut patet ex littera. Et terminatur pars quae dat ordinationem ordinabilis quod est substantia prima.

25 Et sequitur pars in qua concludit quaedam corollaria <M 14vb> ex dictis consequentia, et dividitur in duas penes duo corollaria, <P 45va> quorum primum sequitur ex dictis, et secundum sequitur ex primo. Et ex hoc patet ordo ex saepe dictis; patet etiam quod sufficiunt. In parte ergo prima sic procedit: primo, infert corollarium quod intendit, et est quod omnia alia a primis aut dicuntur de primis, aut sunt in primis; secundo, ostendit istud sequi ex dictis, et ratio est talis, omnia alia a primis aut sunt secundae substantiae aut accidentia, sed secundae substantiae dicuntur de primis et accidentia sunt in primis.

30 *Alia ergo omnia*, etc. (5, 2a34) In hac sic procedit: solum dat probationem minoris pro minori, quamvis pateat ex dictis, et conclusionem; maior enim in se patet. Primo ergo probat primam partem minoris sic: homo est animal, ergo aliquis homo est animal; nam si non, detur oppositum, non aliquis homo est animal, ergo nullus homo est animal, ergo nec homo est animal, quod est oppositum primae. Patet ergo quod animal dicitur de aliquo homine, et sic patet prima pars minoris, quod
35 secunda substantia dicitur de prima. In hac quidem sic procedit: primo, ponit argumentum; secundo,

ostendit necessitatem consequentiae. Et tunc declarat secundam partem minoris consimiliter sic: color est in corpore, ergo in aliquo corpore; nam si non, detur oppositum, ergo non in aliquo corpore, ergo in nullo, ergo nec in corpore, quod est oppositum primae. Patet ergo quod color est in aliquo corpore, et sic patet secunda pars minoris, scilicet quod accidentia sunt in primis, et sic patet minor.

5 Adiungit ergo conclusionem dicens, *Quare alia*, etc. (5, 2b3-4). In hac ergo ratione ultima procedit sicut in alia: primo, ponit ratiocinationem; secundo, declarat necessitatem consequentiae. Et terminatur pars quae infert primum corollarium.

Et sequitur pars quae infert secundum consequens ex illo primo, in qua sic procedit: primo, infert corollarium quod intendit, et est hoc, scilicet quod non existentibus primis impossibile est aliquod aliorum remanere; secundo, ostendit istud sequi ex dicto sic, quaecumque habent essentialem comparationem ad aliquid aliud corrumpuntur, corrupto ad quod habent essentialem comparationem, sed omnia alia a primis habent essentialem comparationem ad primas, eo quod aut dicuntur de, aut sunt in, non ergo existentibus primis, etc. In hac sic procedit: solum dat minorem in sua causa, cum dicit, *Omnia enim alia*, etc. (5, 2b6) Et terminatur pars totalis quae est de ordinatione ordinabilis quod est substantia prima.

Et sequitur pars quae est de ordinatione ordinabilis quod est substantia secunda, et quia secunda substantia est genus et species, dividitur in duas: in prima parte dat harum ordinationem; in secunda, ut ibi: *Merito autem post*, etc. (5, 2b30), ostendit quoddam corollarium quod maxime valet ad declarationem praedictorum. Et patet sufficientia et ordo ex saepe dictis iuxta consimilem divisionem.

20 Pars autem prima adhuc in duas: in prima dat ordinationem secundarum substantiarum quae sunt species ad secundam substantiam quae est genus; in secunda, ut ibi: *Ipsarum vero specierum*, etc. (5, 2b22-23), dat ordinationem specierum inter se, et ordinantur per hoc quod ordinatio unius ad aliud est magis propria quam eiusdem ad se. Nec dat ordinationem generum inter se sicut specierum, quia genus non est generi coaequum sicut species speciei, nec est possibilis comparatio generum propter hoc quod solum unicum est comparabile; nec dat ordinationem substantiarum secundarum ad accidentia, quia, teste Porphyrio, accidentia principaliter sunt in individuis.

Ex iam dictis ergo <M 15ra> patet quod praedictae partes sufficiunt: in hoc enim quod prius dedit ordinationem primarum ad secundas, et sufficienter dedit econverso; et in hoc etiam quod dat ordinationem specierum ad genus, satis dat econverso. Patet ergo sufficientia.

30 In prima ergo parte sic procedit: primo, dat conclusionem quam intendit, quae continet ordinationem secundarum substantiarum quae sunt species ad secundam substantiam quae est genus, et est haec, secunda substantia quae est species est magis substantia quam illa quae est genus; secundo, istam ostendit, et hoc duabus rationibus. Prima talis: quidquid est propinquius primae substantiae est magis substantia; species est propinquior primae substantiae quam genus; ergo species est magis substantia quam genus. Huius solum dat minorem cum sua declaratione. Patet enim maior ex defini-

35

tione primae substantiae. Minorem ergo sic ostendit: quidquid convenientius respondetur ad questionem, “Quid est?”, de prima substantia, est propinquius primae substantiae; species est huiusmodi quod sit convenientius, etc.; ergo est propinquior, etc. Huius solum dat minorem, cum dicit, *Si quis enim*, etc. (5, 2b8), et explanat per duo exempla minorem quidem principalis rationis cum dicit, *propinquior autem*, etc. (5, 2b8)

5 Secunda quidem ratio talis, ibi: *Amplius*, etc. (5, 2b15): primae substantiae quia pluribus substant, ideo dicuntur magis substantiae; sed sicut primae substantiae pluribus substant quam alia, sic species pluribus substant quam genera; quare ex his species genere magis substantia est. In hac sic procedit: <P 45vb> primo dat maiorem in sua probante; secundo, minorem in suo convertibili
10 cum sua declaratione; tertio, conclusionem, cum dicit, *Quare*, etc. (5, 2b21) Maiorem ergo in sua probante cum dicit, *Amplius*, etc. (5, 2b15); sequitur enim si primae quia omnibus substant, ideo dicuntur maxime, quod quia pluribus, ideo magis. Huius ergo dat antecedens, et per consequens dat consequens, et statim minorem subdit cum dicit, *Sicut autem*, etc. (5, 2b17), sed in suo convertibili;
15 sequitur enim si species sic se habent ad alia, scilicet genera, sicut primae ad omnia alia, quod sicut primae substantiae pluribus substant quam alia, sic species pluribus quam genera, et non econverso. Et statim tunc huius subdit declarationem, scilicet quod species pluribus substant quam genera, cum dicit, *subiacent enim*, etc. (5, 2b19), et est ratio talis: species substat generi, et non econverso ergo pluribus substat. Huius solum dat minorem cum sua declaratione, et est declaratio talis: genera praedicantur de speciebus, et non econverso, ergo species substat generi, et non econverso.
20 Solum dat minorem cum dicit, *genera namque*, etc. (5, 2b20) Et terminatur pars quae dat ordinationem substantiarum secundarum quae sunt species ad secundam substantiam quae est genus.

Et sequitur pars quae dat ordinationem ipsarum specierum inter se, et quia ordinatio ipsarum primarum inter se sumpta est ab ordinatione secundarum quae sunt species inter se, ex abundantia, ut ibi: *Similiter autem*, etc. (5, 2b26), dat ordinationem primarum inter se iuxta ordinationem
25 secundarum. Et secundum hoc potest dividi, et patet sufficientia et ordo partium ex saepe dictis in consimili.

In prima ergo parte sic procedit: primo, dat conclusionem quam intendit, quae continet ordinationem specierum inter se, et est quod ipsarum specierum non est magis altera altera substantia; secundo, ipsam ostendit, cum dicit, *nihil enim*, etc. (5, 2b24) Et est ratio talis: nullum eorum quorum
30 neutrum convenientius respondetur ad quaestionem, “Quid est?”, de prima substantia est magis substantia alio; omnia specialissima sunt huiusmodi; ergo specialissimorum nullum magis substantia alio. Solum dat probationem minoris pro minori, scilicet exemplarem, ut patet ex littera.

In parte quidem secunda sic procedit: primo, dat conclusionem quam intendit, quae similiter continet ordinationem primarum inter se, et est quod <M 15rb> primarum substantiarum nihil magis alterum altero substantia est; secundo, istam ostendit exemplariter, cum dicit, *nihil enim*, etc. (5,
35

2b27), et non demonstrat, quia potest demonstrari per proximam, quia qua ratione nullum specialis-
simum est magis substantia alio, nec prima substantia magis quam alia. Et terminatur pars quae dat
comparationem sive ordinationem secundarum substantiarum.

Et sequitur pars quae dat corollarium quod maxime valet ad declarationem praedictorum, et
5 secunda hoc dividitur; et patet sufficientia et ordo ex saepe dictis in consimili. Est igitur corollarium
quod merito sola genera et species primi praedicamenti dicuntur secundae substantiae. Istud ergo
primo proponit, et secundo statim istud ostendit, et hoc duabus rationibus. Prima talis est: quaecum-
que indicant principalem substantiam; ergo sunt secundae substantiae, Solum dat minorem cum sua
declaratione, adiungendo conclusionem: minorem cum dicit, *haec enim*, etc. (5, 2b30-31); conclu-
10 sionem cum dicit, *Ergo haec sola merito*, etc. (5, 2b36-37) Primo ergo, dat probationem minoris
exemplarem, cum dicit, *Aliquem enim hominem*, etc. (5, 2b31-32); deinde, ratiocinationem, cum
dicit, *aliorum vero*, etc. (5, 2b34). Et est talis: nulla quae non sunt genera et species indicant prin-
cipalem substantiam; sed omnia alia a generibus et speciebus non sunt genera et species; ergo nulla
alia indicant principalem substantiam. Minor patet; solum autem dat probationem maioris cum dicit,
15 *aliorum*, etc. (5, 2b34)

Est autem secunda ratio ut ibi: *Amplius principales*, etc (5, 2b37), et est talis: quaecumque
substant aliquibus et non omnibus merito sunt secundae substantiae; species et genus sunt quae sub-
stant aliquibus et non omnibus; ergo merito etc. Maior patet ex definitione substantiae. Solum
huius minorem ostendit, et cum habeat duas partes, affirmativam et negativam, probatio negativae
20 est quod dicitur, *Amplius*, etc. (5, 2b37), ex hoc enim sequitur quod quae non sunt principales sub-
stantiae non substant omnibus; probatio vero affirmativae est quod dicit, *sicut autem primae*, etc.
(5, 3a1), ex hoc enim sequitur per locum a proportione quod secundae substantiae substant ali-
quibus sic: sicut se habet prima substantia ad sua superiora, sic species et genus ad sua, sed prima
substantia se habet ut substans aliis, ergo sic se habent species et genera ad sua, ex quo sequenda
25 quod substant aliquibus. Huius autem solum ponit maiorem cum sua declaratione, et est explanatio
maioris explanatio similitudinis quae est in hoc <P 46ra> quod dicit, *de his enim* (5, 3a3). Et
terminatur pars totalis quae est de ordinabilibus et de eorumdem ordinatione.

Primum dubitabile est: cum dicatur “substantia” multipliciter, scilicet materia et forma, compo-
situm et essentia, quo istorum modorum sumatur hic “substantia” quae est genus primum. Non
30 materia, tum quia proprium est materiae contineri et non continere, tum quia de nullo praedicatur,
tum quia non est pars entis quod estens actu sed ens potentia; substantia autem quae est genus pri-
mum omnino opposito modo se habet. Non forma, quia sic praedicaretur solum de abstractis; sub-
stantia autem quae est genus primum de omnibus praedicatur. Non essentia, quia substantia quae est
essentia communiter se habet ad quodlibet genus; substantia autem quae est genus primum non sic.
35 Ex his igitur relinquitur quod sit substantia composita.

Sed contra hoc est quod in quolibet genere primo est status simpliciter in sursum; in nullo enim composito est status simpliciter. Et praeter hoc, cum genus sumatur a materia, differentia a forma, quaelibet autem substantia composita habet materiam et formam, possibile igitur est generis primi esse <M 15va25> genus et differentiam, et hoc est impossibile; non enim est prius primo.

5 Ad istud igitur notandum quod substantia composita remanet genus primum, sed hoc non accidit ratione materiae sed ratione formae; nomen enim substantiae quae est genus primum significat aggregatum ex materia et forma, aliter enim non diceretur de composito; sumitur tamen et est impositio a forma prima, ultra quam non est alia. Unde remanet genus primum et forma simplicissima in hoc genere, et ideo convenienter statur in ea.

10 Et reliquum quidem contra obiectum fuit praesolutum in Porphyrio.

Dubitatur secundo, utrum per prius et magis fuerit substantia substantia quae est prima aut secunda. Et apparet ex intentione substantiae quae est substare quod substantia prima per prius et magis sit substantia, quia pluribus substatur.

15 Et praeter hoc: quod per se et primo et maxime recipit intentionem entis, per se et primo et maxime est ens et substantia, et sic se habet substantia prima, cum dicat Aristoteles in *VII Metaphysicae* quod substantia quae est hoc aliquid est per se ens, terminata locis et superficiebus propriis; secunda vero substantia nequaquam: igitur per se et primo et maxime est ens et substantia.

20 Et praeter hoc, ut dicitur ibidem, substantiae secundae non recipiunt intentionem substantiae nisi quia declarant quidditates et essentias primarum; prius ergo debetur quod secundae recipiunt intentionem substantiae: substantia ergo prima per prius recipit et per prius erit substantia.

Sed contra hoc est quod id quod est causa alterius ut sic est maxime tale in illo genere; substantia autem secunda est causa ut sic substantiae primae, ut patet ex VII^o: ergo per prius et maxime est substantia.

25 Et praeter hoc: substantia quae est forma est magis et per prius substantia quam substantia materia vel compositum ex his, quia dat esse utrique ut sic, ut patet ex VII^o; substantia autem secunda est substantia quae est forma, substantia autem prima est substantia quae est composita; ergo substantia secunda per prius et magis erit substantia quam substantia prima.

30 Ad istud igitur notandum quod substantia secunda secundum veritatem substantiae per prius est substantia rationibus iam dictis; secundum intentionem tamen substantiae quae est pluribus substare non, sed magis substantia prima rationibus praehabitis.

Nota ergo quod substantia prima dicitur magis ens per se, ut ens per se dividitur contra ens in alio; secunda autem substantia dicitur magis ens per se, ut ens per se dividitur contra ens ab alio: et sic dicitur esse per prius substantia prima, et sic secunda.

35 Dubitatur 3^o quare non determinat substantiam quae est communis ad primam et secundam definiendo eam et dividendo in suas species.

Ad quod dicendum quod “substantia” dicitur dupliciter: uno modo nominat ipsam essentiam absoluta quae est generalissimum in hoc praedicamento, et dividitur sic substantia in corpoream et in incorpoream; alio modo nominat essentiam ordinatam ad ea quae sunt in ea tamquam in subiecto, et hoc modo dicitur “substantia” secundum prius et posterius, et recipit has differentias, “primam” et “secundam”. Aristoteles igitur non intendit hic de substantia ut est nomen essentiae absolutae – sic enim magis intendit de ea metaphysicus – ideo nec definit eam, nec dividit in principio, ne si divideret eam hoc modo, crederetur quod divideretur essentia; definit tamen primam et secundam.

Sed hoc consequitur dubitatio: videtur enim quod debuit definire tertiam substantiam, quia quae est comparatio speciei ad individua eadem est generis ad species; et talis est comparatio speciei ad individua quod species dicitur “secunda substantia” in comparatione ad individua; <M 15vb> ergo, etc.

Et dicendum quod “substantia prima” dicitur <P 46rb> quia per se substat; “substantia secunda” quia per primam substat. Unde cum tam genus quam species substant accidentibus per primas, dicitur utraque istarum “secunda”; neutra enim istarum substat accidentibus per alteram: unde neutra tertia. Bene tamen potest concedi quod genus est substantia tertia secundum quod “substantia” est nomen essentiae absolutae.

Ex praedictis igitur potest patere quare non dividit substantiam per has differentias, corporeum et incorporeum, materiam, formam, compositum, sed per has, primam et secundam, cum hic sit intentio de substantia, ut iam diximus, prout est ordinabilis et non prout est res vel prout est nomen essentiae absolutae sed essentiae ordinatae, quod est idem cum substantia prout est ordinabile.

Sed dubitatur de sufficientia huius divisionis: materia enim secundum Aristotelem est substantia, sed non est prima, cum non sit hoc aliquid; nec secunda, cum non praedicetur de aliquo. Similiter, forma est substantia, et non prima, cum haec non sit hoc aliquid; nec secunda, cum non sit genus aut species.

Et dicendum quod non sunt in genere substantiae. Si ergo obiciatur quod omnis substantia est in praedicamento substantiae, dicendum quod esse in praedicamento dicitur dupliciter: aut ut pars praedicamenti, ut substantiae completae sunt in praedicamento substantiae; aut ut reducta ad praedicamentum, ut principia substantiae ad genus substantiae reducuntur, quae principia sunt materia et forma – ista enim reducuntur ad substantiam non ut praedicabilia sed ut principia -- et sic patet qualiter omnis substantia sit in genere substantiae.

Dubitatur consequenter cuius fuerit haec divisio, substantia alia prima, alia secunda. Et ponunt omnes, secundum Boethium, quod sit divisio generis in species. Nobis tamen aliter videtur, secundum quod diximus iam de substantia quod sit divisio cuiusdam multipliciter dicti, scilicet partim generis in species, partim vocis in significationes, quia sive dicatur “substantia” secundum inten-

tionem substantiae, sive secundum veritatem, semper per prius et posterius dicitur substantia de prima et de secunda, ut patet ex iam dictis.

Dubitatur hic consequenter qualiter potest hic esse intentio de substantiis primis, cum statim post species specialissimas occurrat infinitum, cum dicit Plato de infinitis non est ars neque scientia.

5 Cuius potest esse ratio quod non stat hic intentio super haec nisi prout sunt reducta ad genus et uniuntur in suo universali: sic autem non sunt infinita, ut supra diximus in Porphyrio.

Dubitatur consequenter de definitione primae substantiae, quia cum nihil ponat, poterit convenire chimerae.

10 Cuius solutio est quod per receptionem huius nominis, “substantia”, fiunt negationes in genere et non extra genus, et sic ponit aliquid. Legatur igitur sic littera: *substantia est quae neque de subiecto dicitur neque in subiecto est* (5, 2a11-13), idest substantia prima est *quae proprie* (5, 2a11), ut sic excludat substantiam communiter dictam quae est essentia in quolibet genere, *et principaliter* (5, 2a11), ut sic excludat secundas substantias, quae non per se et primo recipiunt hanc intentionem substantiae quae est substare, ut supra notavimus, *et maxime dicitur* (5, 2a11-12), ut
15 significet secundas substantias quae sunt genera minime substare, cum non substant nisi accidentibus, licet hoc sit per accidens, ut supra notavimus; secundas autem substantias quae sunt species magis, cum substant generibus per se et accidentibus, sed per accidens ut diximus; et primas maxime, quia substant omnibus.

Dubitatur consequenter quare non dicat quod primae substantiae sunt ut Socrates et Plato, sed
20 magis sic, *aliquis homo*, etc. (5, 2a13)

Et dicendum quod si *aliquis* contrahit hunc terminum, *homo* et individuat ipsum aliquo modo, ita tamen quod per successionem et continuationem temporis maneat <M 16ra> in aliquo significato, et ideo magis nominatur sic prima substantia in praedicamento, cum sic nominetur magis per modum incorruptibilem quam in his terminis, “Socrates”, “Plato”.

25 Et praeter hoc haec nomina, “Socrates”, “Plato”, sunt nomina ab eventu a quibus individua habent nominationem aliquo modo et nullo modo esse. Unde non sic nominantur primae substantiae.

Dubitatur consequenter qualiter secundae substantiae praedicantur nomine et ratione: non enim videtur istud convenire generalissimo, cum non habeat definitionem.

30 Et dicendum quod immo; cum enim dicit quod secundae substantiae praedicantur nomine et ratione, sumitur “ratio” sive fuerit vera definitio, ut est definitio speciei, sive qualiscumque ratio, ut est definitio generalissimi, cuiusmodi data est per abnegationem vel quocumque alio modo.

Sed iam sequitur quaestio qualiter accidens non praedicatur ratione.

Et non potest assignari alia causa nisi quia non <P 46va> habet rationem, quia si haberet, cum omne definitum subicit se respectu definitionis, per hoc principium, *Quando alterum*, etc. (3, 1b10), necessario diceretur definitio de primo subiecto.

5 Sequitur ergo quaestio an habeat, an non. Et quod habeat apparet sic: cuiuslibet habentis esse possibile est esse significare; accidens est habens esse possibile: ergo eius est significare; sed sermo significans esse est sermo definitivus, ergo potest habere sermonem definitivum.

10 Praeterea, si non est accidentis vera definitio, qualiter ergo sunt demonstrationes verissimae per definitiones accidentium, quia non est demonstratio vera nisi per veram causam et veram definitionem. Definitio autem quae est medium in demonstratione, secundum Aristotelem, est definitio passionis.

15 Quod autem non sit definitio accidentis planum est ex *VII^o*, tum quia omne definibile est unum per essentiam, accidentia autem non sic se habent; tum quia nulla oratio accipiens frequenter idem est oratio definitiva, ut patet ex *VI^o Topicorum*. Sed sic se habet oratio exprimens esse accidentis, ut patet ex *VII^o Metaphysicae*, verbi gratia album indigebat accidente et subiecto, et illud accidens eodem subiecto: non erit igitur sermo definitivus accidentis.

Ad istud igitur notandum quod accidens non habet definitionem intentione prima; habet tamen intentione secunda, ut dicamus rationem sermonem maioris declarationis quam nomen vel sermonem aequalem significationi ipsius nominis, et sic eius esse est significare.

20 Quod autem obicitur quod per se passionis est vera definitio: dicendum quod ad sciendum passionem de subiecto demonstrative, quaeritur primo et per se causa et non definitio; sed cum habetur quod haec est causa accidentis in subiecto, elicitur consequenter quod haec est definitio passionis. Cum ergo passionis in subiecto sit altera causa, quia forma substantialis subiecti est causa passionis in subiecto, quae forma substantialis est alia essentia quam per se accidens, necesse est definitionem passionis quae medium est in demonstratione esse eius definitionem non simpliciter, quia non eius
25 essentia est, sed dicitur eius definitio quia est sua causa. Et sic patet quod non potest esse sua definitio secundum speciem factam sed secundum materiam; accidentium enim subiectum et eius forma quae est vera causa accidentis est sua materia et non sua qualitas.

30 Ex his igitur pertractanti potest patere quod definitio subiecti secundum speciem factam est definitio passionis secundum materiam factam; propria enim principia subiecti ex quibus est sunt vera causa passionis, ut dicit Aristoteles.

35 Consequenter quaeritur de secundis substantiis utrum secunda substantia quae est species per prius recipiat esse substantiae quam illa quae est generis, vel econverso. <M 16rb> Et apparet quod genus, quod est contra intentionem auctoris, quia quod est causa alii ut sic est magis ens in illo genere; substantia autem quae est genus est causa substantiae quae est species, scilicet ut sic: genus enim est causa omnium specierum; igitur erit magis substantia et per prius.

Et praeter haec: forma est magis ens substantia quam materia, ut supra notavimus, vel compositum et genus plus habet de forma, cum sit forma communior; est ergo magis ens substantia.

Ad istud igitur notandum quod species magis est substantia quam genus secundum intentionem substantiae, non autem secundum veritatem; substantia enim secundum veritatem substantiae non suscipit magis et minus. Unde quod ostendit hic quod species est magis substantia quam genus intelligendum est secundum intentionem substantiae, quae intentio scilicet est substare.

Quod ergo obicit quod genus est magis substantia quam species, quia est ipsius causa, haec non cogit, cum non det esse ipsis speciebus nisi secundum partem et non secundum totum.

Quod etiam obicitur quod genus plus habet de forma, hoc falsum est; nam species totam formam generis habet et praeter hoc formam propriam, unde est forma speciei specialior, generis vero forma communior, non tamen una magis substantia alia, et non suscipit magis et minus, loquendo de substantia secundum veritatem substantiae.

Sequitur quaestio an cognoscens speciem de prima substantia magis et verius cognoscat, an cognoscens genus.

Et intendit Aristoteles quod cognoscens speciem. Sed contra hoc est quod illud in quo est status in quaestione, "Quid est ?", est magis causa scientiae quaestionis, "Quid est ?"; sed in genere est status in quaestione, "Quid est ?", de prima substantia et non in specie: ergo est magis causa scientiae quam species.

Et praeter hoc: magis et melior est scientia quae est ex causis non causatis quam quae est ex causis causatis, ut patet ex primo *Posteriorum*; sed species se habet sicut causa causata <P 46vb> a genere, genus autem non sicut causa causata a specie: melior ergo est scientia quae est a genere quam quae est a specie.

Ad istud igitur notandum quod istud falsum est, quia cognoscens speciem magis cognoscit quam cognoscens genus, quia cognoscens speciem cognoscit genus et non e converso, unde est status in specie; qui enim cognoscit speciem cognoscit genus. Et sic solvitur primum contra obiectum; est enim genus de essentia speciei, et praesupponit obiectio ac si non esset.

Reliquum autem contra obiectum solvitur per hoc quod Aristoteles non dicit quod melior est scientia quae est ex causis non causatis, etc., sed est magis universalior; supponamus ergo cum Aristotele cognoscens speciem magis cognoscere.

Item, intellige quod secundae substantiae indicant primas indicatione essentiali faciente scientiam; accidentia non sic, sed indicatione accidentali faciente opinionem.

LECTIO 7

Commune est autem omni substantiae, etc. (5, 3a7) In parte ista dat proprietates et passiones ipsa ordinabilia in genere substantiae consequentes, et dividitur in duas: in prima dat proprietates sive passiones quae insunt substantiae prout est aliquid secundum rationem; in secunda, ut ibi: *Inest autem substantiis*, etc. (5, 3b24), prout est aliquid secundum naturam. Et patet sufficientia et ordo <M 16va> per hoc quod prima pars dat consequentia substantiam in quantum est praedicabile, secunda autem in quantum est res.

Prima autem adhuc in duas: in prima dat proprietatem quae inest substantiae universaliter; in secunda, ut ibi: *Inest autem substantiis et differentiis*, etc. (5, 3a33), dat proprietates quae insunt substantiae alicui. Et patet sufficientia, cum substantia non possit pluribus modis considerari nisi in universali vel in particulari; et ratio ordinis per hoc quod innata est nobis via a communioribus ad propria.

Prima autem harum in duas: in prima dat proprietatem quae inest substantiae universaliter, est est non esse in subiecto; in secunda, ut ibi: *Non nos vero conturbent* (5, 3a29), removet quemdam errorem ex prius dictis incidentem vel contingentem. Et patet harum sufficientia et ordo ex saepe dictis iuxta consimilem divisionem.

Prima autem harum adhuc in duas: in prima determinat hanc quaestionem, scilicet, an non esse in subiecto insit substantiae; in secunda, ut ibi: *Non est autem substantiae proprium* (5, 3a21), an insit ei ut proprium. Et quamvis aliquo modo prima sufficeret sine secunda, magis tamen sufficiunt ambae; et ordo patet intuiti.

Primam ergo quaestionem determinat in partem affirmativam. In parte ergo ista sic procedit: primo, ponit conclusionem quam intendit, dicens, *Commune igitur est*, etc. (5, 3a7); secundo, illam ostendit, et hoc inductione sic, prima substantia non est in subiecto, secunda non est in subiecto, ergo nulla. Prima patet per hoc quod dicit, *Principalis namque*, etc. (5, 3a8); secunda vero per hoc quod dicit, *secundarum vero*, etc. (5, 3a9) Et per hoc quod subdit, *Homo enim*, etc. (5, 3a10-11), probat eam primo inductione, secundo syllogismo. Inductio autem est haec: secunda substantia quae est species non est in subiecto, nec secunda quae est genus, ergo nulla. Primam partem inductionis manifestat cum dicit, *Homo enim*, etc. (5, 3a10-11); secundam cum dicit, *Similiter et animal*, etc. (5, 3a13); et utraque manifestatur per exemplum. Syllogismus talis est, ibi: *Amplius autem*, etc. (5, 3a15): nihil quod est in subiecto praedicatur nomine et ratione; secunda substantia praedicatur nomine et ratione; ergo nulla secunda substantia est in subiecto. In hac sic procedit: primo, dat maiorem; secundo, minorem cum sua declaratione exemplari, cum dicit, *rationem enim* (5, 3a18-19); tertio, conclusionem. Et terminatur pars illa quae demonstrat primam conclusionem.

Et sequitur pars quae demonstrat secundam. Determinat ergo istam in partem negativam. In parte igitur ista sic procedit: primo, ponit conclusionem quam intendit, dicens, *Non est autem hoc*

substantiae proprium (5, 3a21); secundo, istam ostendit, cum dicit, *sed differentiae*, etc. (5, 3a21-22) Et est ratio talis: nihil quod convenit substantiae et alteri, ut differentiae, est proprium substantiae; sed non esse in subiecto convenit substantiae et alteri, scilicet differentiae; ergo non est proprie proprium substantiae; ergo non est proprie proprium substantiae. Huius solum dat minorem, cum dicit, *sed differentiae*, etc. (5, 3a21-22), cum sua declaratione inductiva et ratiocinativa: inductiva cum dicit, *bipes enim*, etc. (5, 3a22-23); ratiocinativa cum dicit, *Ratio quoque*, etc. Et est ratiocinatio talis: nihil quod est in subiecto praedicatur nomine et ratione; differentia praedicatur nomine et ratione; ergo non est in subiecto. Solum dat maiorem cum sua declaratione, et est exemplaris, cum dicit, *velut si gressibile*. (5, 3a26-27) Et sic terminatur pars quae determinavit secundam quaestionem et totalis quae dat proprietatem quae inest substantiae universaliter.

Et sequitur pars quae removet errorem ex prius dictis contingentem. In hac ergo sic procedit: primo, tangit rationem moventem nos ex praehabitis in talem errorem, et hoc cum dicit, *Nos nos vero conturbent*, etc. (5, 3a29), de partibus substantiae quae sunt in toto quasi in subiecto, et sic ex <16 Mvb> praedictis apparent non esse substantiae, cum <P 47ra> nulla substantia sit in subiecto, quod est inconueniens; secundo, removet hunc errorem, cum dicit, *non enim in subiecto dicuntur esse*. (5, 3a31-32) Et intellegit hoc tam de partibus essentialibus, quae sunt materia et forma, quam integralibus, ut manus et caput. Et sic patet quod removetur iste error per equivocationem eius quod est esse in subiecto. Et terminatur haec totalis pars quae dat primam proprietatem sive passionem substantiae quae inest universaliter substantiae.

Et sequitur pars quae dat proprietates sive passiones quae insunt substantiae alicui, et dividitur in duas: in prima dat proprietatem sive passionem quae inest secundis substantiis simul cum differentiis, ita quod non primis; in secunda, ut ibi: *Omnis autem*, etc. (5, 3b10), dat illam quae sic inest primis, ita quod non secundis. Et patet sufficientia, quia non est pluribus modis dare passiones quae insunt substantiae alicui; patet etiam ordo per hoc quod passio universalior est prior.

In prima ergo parte duas terminat quaestiones, quarum prima est an univoce praedicari insit solis secundis substantiis et differentiis; secunda est an insit omnibus. Et utrumque terminat in partem affirmativam. In hac parte sic procedit: primo dat conclusiones quas intendit, dicens, *Inest autem*, etc. (5, 3a33); intendens per hoc quod dicit, *ex his* (5, 3a34), quod sic habet exponi, idest de numero ordinabilium in genere substantiae, quod solum secundis substantiis et differentiis inest univoce praedicari; per hoc quod dicit, *Omnia autem quae ex* (5, 3a34), quod inest omnibus; secundo, ostendit has, primo primam, scilicet quod solis, sic, omnis substantia aut est prima, aut secunda, et primis non inest univoce praedicari, igitur solis inerit secundis. Intendit enim istud necessario convenire aliquibus substantiis; quod patet per hoc quod sic fuit ordinatio substantiarum quae dicuntur de dici secundum nomen et secundum rationem. In hac sic procedit: solum dat probationem minoris pro minori, cum dicit, *A principali namque substantia*. (5, 3a36) Ista enim littera debet immediate

legi, et debent immediate sequi conclusiones. Probat ergo minorem sic: primis substantiis inest nullo modo praedicari, ergo nec univoce. Solum dat huius maiorem cum sua declaratione, quae est talis: quod de nullo subiecto dicitur de nullo praedicari; prima substantia de nullo dicitur; ergo de nullo praedicatur. Solum dat minorem, cum dicit, *de nullo enim*, etc. (5, 3a37) Sic igitur ostenditur
5 prima conclusio.

Ostendit igitur secundam, scilicet quod insit omnibus cum differentiis, cum dicit, *Omnia enim*, etc. (5, 3a34) Demonstratio talis est: quaecumque praedicantur nomine et ratione praedicantur univoce; omnes substantiae secundae et differentiae sunt huiusmodi; ergo praedicantur univoce. In hac sic procedit: primo, dat declarationem minoris pro minori; secundo, declarationem maioris pro
10 maiori; tertio, conclusionem, ibi: *Quare omnia*, etc. (5, 3b8) Minor vero cum habeat duas partes, prima probatur per inductionem ab illo loco, *Omnia enim*, etc. (5, 3a34), usque illic, *Rationem*, etc. (5, 3b2); et secunda similiter per inductionem, usque illuc, *univoca*, etc. (5, 3b7) Innuit etiam inducentium declarationem per hoc principium, *Quando alterum*, etc. (3, 1b10), cum dicit, *quaecumque enim de praedicato*, etc. (5, 3b4) Et utriusque partis sunt duae partes, una de secundis
15 substantiis, alia de differentiis, ut patet ex littera, et utraque pars sic incipit, *similiter autem* (5, 3b1, 5), et declaratio maioris est tunc, cum dicit, *univoca*, etc. (5, 3b7) Est etiam ratio ista: univoca sunt quorum nomen <M 17ra> idem et ratio eadem; quae ergo praedicantur nomine et ratione praedicantur univoce. Et solum huius dat minorem. Et terminatur haec totalis pars quae dat passionem quae inest secundis substantiis cum differentiis, ita quod non primis.

Et sequitur pars quae dat passionem quae inest primis, ita quod non secundis, licet tamen secundis appareat inesse, et est significare hoc aliquid, quod apparet secundis inesse sub appellationis figura. Quia igitur istud indubitanter inest primis et apparenter secundis, duas principaliter ostendit in parte ista conclusiones, quarum prima est quod primae substantiae indubitanter significant hoc aliquid; secunda est quod licet secundae sic se appareant significare sub appellationis figura,
25 hoc tamen non est verum, sed significant quale quid.

Secundum hoc ergo dividitur in duas. In prima ergo parte sic procedit: primo, dat conclusionem quam intendit, et durat usque ibi: *individuum enim*, etc. (5, 3b12), et ibi illam ostendit sic, quidquid est unum numero significat hoc aliquid, prima substantia est tale, ergo, etc. Et solum dat minorem cum dicit, *individuum enim*, etc. (5, 3b12) Et terminatur pars prima.

Et sequitur pars secunda, et ita dividitur in duas: in prima ostendit conclusionem quam intendit; in secunda, ut ibi: *non autem simpliciter quale*, etc. (5, 3b18), removet quemdam errorem qui posset contingere ex prius dictis immediate. Et patet <P 47rb> harum sufficientia et ordo et saepe dictis in suo consimili.

In prima ergo parte sic procedit: primo, dat conclusionem quam intendit ab illo loco, *In secundis substantiis*, etc. (5, 3b13), usuque illuc, *neque enim unum*, etc. (5, 3b16), et est quod secundae
35

substantiae significant quale quid, licet appareant significare hoc aliquid; et tunc illam ibi ostendit sic, non significant unum numero, ergo non significant hoc aliquid, quia si affirmatio est causa affirmationis, et negatio erit causa negationis, ex quo sequitur quod significant quale quid. Solum dat maiorem cum sua declaratione, cum dicit, *neque enim unum*, etc. (5, 3b16) Et sic terminatur pars prima.

5 Et sequitur secunda quae removet errorem qui posset contingere ex prius dictis; posset enim aliquis credere ex his secundam substantiam significare tale quale significat accidens. Hoc ergo removet distinguendo hoc ipsum quale qualiter conveniet secundis substantiis et qualiter accidentibus, innuendo genera et species significare quale substantiale, et qualitates quae sunt formae substantiae
10 quae sunt quidditates et essentiae primarum, tamen differenter per hoc quod genus est forma communior, species vero specialior. Et hoc est quod dicit, *Plus autem in genere*, etc. (5, 3b21) Et sic terminatur haec pars totalis quae dat proprietates sive passiones substantiae prout est aliquid secundum rationem, et quae dat eius consequentia in quantum est praedicabile.

Et sequitur pars quae dat proprietates quae insunt substantiae prout est aliquid secundum naturam, et quae dat eius consequentia in quantum est res. Et dividitur in duas: in prima dat proprietates quae insunt substantiae et aliis; in secunda dat proprietatem quae inest substantiae, ita quod non aliis, ut ibi: *Maxime autem proprium*, etc. (5, 4a10) Nec est pluribus modis dare proprietates nisi quae aut insunt soli aut non soli: patet ergo sufficientia. Patet etiam ratio ordinis per hoc quod innata est, etc.

20 Prima autem harum dividitur adhuc in duas penes duas proprietates: in prima dat illam, non habere contrarium; in secunda, ut ibi: *Videtur autem substantia*, etc. (5, 3b33), dat istam, non suscipere magis vel minus; quarum ordo et sufficientia patebit ex dubitandis.

In prima ergo parte duas determinat quaestiones, scilicet an non habere contrarium insit substantiae, <M 17rb> et an insit ut proprium; haec enim sufficiunt ad ostendendum aliquam proprietatem. Et secundum hoc dividitur in duas, et incipit secunda pars ibi: *Non est autem hoc substantiae proprium*, etc. (5, 3b27) Et patet sufficientia et ratio ordinis.

Primam ergo quaestionem determinat in partem affirmativam. In ista ergo parte sic procedit: primo, ponit conclusionem quam intendit; secundo, illam ostendit. Et est conclusio quod dicit, *Inest autem*, etc. (5, 3b24); ostensio autem est haec quod dicit, *Primae enim substantiae*, etc. (5, 3b25)
30 Et est inductiva talis: primae substantiae nihil est contrarium; secundae substantiae nihil est contrarium; ergo nulli substantiae aliquid est contrarium. Dat etiam inducentia aut actualiter aut exemplariter, ut patet ex littera.

Et secundam quidem quaestionem determinat in partem negativam. In illa ergo parte sic procedit: primo, ponit conclusionem quam intendit, dicens, *Non est autem*, etc. (5, 3b27); secundo, illam
35 ostendit, cum dicit, *sed etiam aliorum*, etc. (5, 3b27-28) Et est ratiocinativa talis: nihil quod con-

venit substantiae et quantitati erit proprium substantiae; non habere contrarium est huiusmodi; ergo non est proprium substantiae. Solum ponit alteram partem minoris, et ostendit exemplariter cum dicit, *bicubito enim*, etc. (5, 3b29); prima enim pars minoris patet ex proxima conclusione; maior etiam patet ex definitione proprii. Et terminatur haec pars quae declarat primam proprietatem.

5 Et sequitur altera pars quae determinat secundam quaestionem, scilicet substantiam non suscipere magis et minus, quam determinat in partem affirmativam; nec indigebat determinare aliam, scilicet an insit ut proprium, eo quod satis potest liquere quod non ex praedeterminatis. Dicit enim Aristoteles quod magis vel minus dico in quo est plus vel minus de contrario; ex quo sequitur quod in quo non est plus vel minus de contrario, nec magis et minus: quare patet ex praedeterminatis quod
10 quantitas non suscipit magis vel minus, et sic per consequens quod istud non est proprium substantiae. Unde non oportuit hoc hic manifestare.

In hac ergo parte sic procedit: primo, ponit conclusionem quam intendit, et statim quamdam dubitationem dissolvit – conclusio est hoc quod dicit, *Videtur autem*, etc. (5, 3b33); dubitationem dissolvit cum dicit, *dico autem*, etc. (5, 3b34) – secundo, illam ostendit, cum dicit, *ut haec substantia*, etc. (5, 3b37) Posita enim conclusione, quia videtur esse opposita cuidam praedeterminato in
15 quarta conclusione vel in quinta, ubi dixit, substantia quae est species est magis substantia quam illa quae est genus, ideo antequam ponat probationem dissolvit contrarietatem, dicens, *dico*, etc. (5, 3b34), cuius expositio est quod substantia in substando recipit magis et minus, et non in essendo. Hoc habito, ponit probationem <P 47va> eius, et est rationacinativa talis: nihil quod nec suscipit
20 magis nec minus comparatum sibi: nec alii recipit magis nec minus; omnis substantia est huiusmodi; ergo nulla, etc. Solum ostendit minorem per differentiam substantiae ad qualitatem cum dicit, *Non enim alter* (5, 3b39), et primo unam partem, deinde alteram, ut patet ex littera, adiungendo conclusionem cum dicit, *quapropter*, etc. (5, 4a8) Maior patet ex divisione sive partium enumeratione eius quod est magis et minus.

25 Nota ergo quod dicit in primis, *Videtur* (5, 3b33), quia non est dissoluta apparens contrarietas; <M 17va> unde in fine, ipsa dissoluta et conclusione ostensa, dicit concludendo, *quapropter non recipiet*, etc. (5, 4a8) Et sic terminatur haec pars et totalis pars quae dat proprietates quae insunt substantiae et aliis.

Et sequitur pars quae dat proprietatem quae inest substantiae, ita quod non alii, et est esse susceptibile contrariorum. Dividitur autem in duas: in prima demonstrat hic consequens de substantia;
30 in secunda, ut ibi: *In aliis autem nullis*, etc. (5, 4a21), corrigit illud. Et non sufficeret prima sine secunda; et patet ordo, cum sit prius aliquid dare quam ipsum datum, et non sufficienter, emendare.

In parte ergo prima sic procedit: primo, dat conclusionem quam intendit, sic dando proprium, dicens, *Maxime*, etc. (5, 4a10) -- et dicimus quod li *Maxime* est adverbium et non nomen sicut dicunt quidam; intendit enim illud esse proprie proprium substantiae – secundo, illam ostendit cum
35

dicit, *Et in aliis quidem*, etc. (5, 4a11-12) Et est ratiocinativa ostensio talis: quidquid convenit omni et soli substantiae est proprie proprium substantiae; sed esse susceptibile contrariorum convenit omni et soli substantiae; ergo, etc. Solum dat alteram partem minoris, scilicet quod convenit soli, et supponit quod conveniat omni; quia enim manifestum est quod convenit omni primae, et secundae
5 numerantur in primis, manifestum est quod convenit secundis; sumit enim “contraria”, ut dicitur postea, valde in extensu, quia sive fuerit contrarietas in passionibus, sive in situ, sive in qualibet dispositionibus; vult enim Boethius illud proprium convenire omni, et super hoc erit sermo in dubitandis.

Maiores manifesta est ex ratione proprii. Ad explanandum autem alteram partem minoris, cum sit
10 quaedam exclusiva, oportet probare duas propositiones exponentes exclusivam, unam negativam, alteram affirmativam. Negativa est haec: nulli alii a substantia inest esse susceptibile contrariorum. Hanc primo proponit, cum dicit, *Et in aliis quidem*, etc. (5, 4a11-12); secundo, declarat inductive et exemplari declaratione, cum dicit, *velut color*, etc. (5, 4a14), usque illuc, *Substantia vero*, etc. (5, 4a17) Ibi vero ponit affirmativam, quae est haec: substantiae inest esse susceptibile contrario-
15 rum; secundo, istam ostendit per exemplarem declarationem vel inductionem, cum dicit, *ut quidam homo*, etc. (5, 4a18-19) Et terminatur pars quae demonstrat illud consequens.

Et sequitur pars quae corrigit, et dividitur in duas: in prima probat quod correctioe indiget, dando instantiam contra hanc universalem negativam, *In aliis autem non habebit*, etc. (5, 4a21), instando in ratione et opinione, ut patet ex littera; in secunda, ut ibi: *si quis hoc suscipiat*, etc. (5,
20 4a28-29), corrigit, <M 17vb> excludendo instantiam per determinationem istam, *secundum sui mutationem* (5, 4b18), quae quidem determinatio est correctio proprii. Et proceditur in parte ista per modum narrationis, et ideo remanet indivisibilis.

Exclusa igitur instantia et correcto proprio, infert proprium cum sua correctione, dicens, *Quapropter*, etc. (5, 4b2) Ad maiorem autem confirmationem praedictorum et ut etiam aliquid addat, repetit prius dicta cum dicit, *si quis autem hoc recipiat*, etc. (5, 4b4), et iterum excludit huius proprium cum sua correctione, dicens, *Quare proprium*, etc. (5, 4b17) Et sic terminatur totale.

Hic notandum verum et falsum esse ad aliquid sicut simile et dissimile; nihil enim praedicat verum aliud quam conveniens, et falsum disconveniens. Ista tamen sunt ad invicem secundum veritatem privative opposita, quae in extensu possunt dici contraria. Quantum ergo habent de contrarietate est haec instantia bona, et indiget proprium correctione; in quantum autem deficiunt nulla est
30 instantia, nec indiget proprium correctione.

Primum dubitabile est super hoc quod dicit quod nulla substantia est in subiecto. Secunda enim substantia est in subiecto propter hoc quod est in substantia prima et substantia prima se habet sicut subiectum respectu ipsius secundum se et non secundum accidens.

Et dicendum quod subiectum est dupliciter respectu praedicationis, et sic <P 47vb> se habet prima substantia respectu secundae et respectu passionis, et sic se habet solum substantia prima respectu accidentis. Est igitur secunda in prima sicut superius in suo inferiori. Et primae sunt in secundis econtrario, et nullo modo est substantia in sicut accidens est in subiecto, et sic sumitur hic
5 “esse in”. Est etiam prima substantia in secunda potestate et non actu, et non sicut etiam quaedam pars integralis sed sicut subiectiva.

Est etiam anima in subiecto sibi corpore sicut motivum in moto, non sicut accidens in subiecto: unde hic non arguit, ut quidam obiciunt, animam non esse substantiam.

Dubitatur consequenter super hoc quod ipse attribuit hanc passionem, non esse in subiecto, alteri quam substantiae, ut differentiae; per hoc enim apparet quod differentia non est substantia.
10

Et praeter hoc: quod nihil quod est quale vel modum qualitatis habens est substantia; et differentia est huiusmodi; ergo, etc.

Et praeter hoc: quia differentia nulli subicitur, secundum Aristotelem, et substantia in ratione substantiae alicui subicitur, apparet quod differentia non sit substantia.

Et praeter hoc: ex duobus essentiae similis non fit essentia nova, sicut habetur in *libro Caeli et mundi*, et ex genere et differentia fit essentia nova, quia species, et scimus quia genus est substantia, non ergo differentia.
15

Et praeter hoc: nec est species, nec est genus, nec est individuum, ergo non est in praedicamento substantiae, ergo nec substantia.

Sed contra: ex substantia et accidente non fit unum per essentiam; sed ex genere et differentia fit unam per essentiam, quia species: ergo utrumque est substantia.
20

Et praeter hoc: dans et generans omnino habent speciem; genus et differentia generant substantiam, quia speciem quae est substantia: igitur utrumque est substantia.

Et praeter hoc: accidens consequitur subiectum constitutum in esse; differentia non sic, cum sit
25 pars essentiae speciei; igitur non erit accidens.

Et praeter hoc: nullum accidens diffinit substantiam; sed differentia diffinit substantiam; non ergo est accidens.

Et praeter hoc: nullum accidens destructum destruit substantiam; sed differentia destructa, destruit substantiam, cum sit qualitas substantialis; ergo differentia non est accidens.

Et praeter hoc: praedicatur differentia nomine et ratione, ut dicit in littera; ergo non est in; ergo non est accidens.
30

Et dicendum quod, quia differentia hic nulli subicitur, quod non est substantia secundum intentionem substantiae, scilicet hanc quae est substare, et hoc est quod dicit Aristoteles quod differentia nulli subicitur. Et sic nomen differentiae significet formam solam, per relationem tamen ad materiam; secundum veritatem tamen et esse substantiae est substantia; est tamen qualitas vel quale se-
35

cundum modum. Et hoc est quod supra diximus in Porphyrio, <M 18ra> quod dicit Augustinus differentiam esse virtutem quid, dictione vero quale, et convenit in comparatione cum qualitate quae est congregare homogenea et heterogenea segregare. Se habet etiam ad genus sicut forma ad materiam, vel magis sicut qualitas ad subiectum, cum sit qualitas ipsam disponens. In relatione autem ad speciem est substantia secundum veritatem, et sic ex substantiis fit substantia, et sic patet qualiter
5 possit definire substantiam, et ipsa destructa destruere. Et sic etiam patet qualiter possit praedicari secundum nomen et secundum rationem.

Intellige tamen quod cum definitum subiciat se definitioni, nomen differentiae significat forma agregatam cum materia, et sic habet definitionem et sic subicitur. Nec est contrarium quod dicit Aristoteles quod differentia nulli subicitur; intendit enim, ut supra diximus, quod nomen differentiae
10 ita significet forma solam, per relationem tamen ad materiam.

Intellige igitur quod differentia est alterum a substantia et non aliud: unde quia non omnino habet modum et esse substantiae, dicit, *Non est autem* (5, 3a21). Nec est quale accidentale, sed magis substantiale, et ideo substantia. Ponit tamen Boethius quod sit medium inter substantiam et accidens, nominans ipsam “substantiale” non “substantiam”, scilicet “qualitatem substantialem”.
15 Nec ponit esse inconueniens esse medium inter substantiam et accidens dummodo illud non fuerit ens completum - sicut sint differentiae, quae sunt principia substantiae.

Potest tamen dici ut iam diximus. Et si obiciat quod ex duobus essentiae similis, etc., dicendum quod sic scribitur quod non fit essentia alia et alia. Et hoc verum est; genus enim est de essentia speciei, et differentia similiter, et sunt essentiae similis.
20

Et si obiciat quod differentia non est in praedicamento substantiae, dicimus quod esse in praedicamento est multis modis: aut sicut genus et species, et haec proprie et vere sunt in praedicamento, genera sicut in sursum, species sicut in deorsum; aut <P 48ra> sicut a latere, et sic sunt differentiae in genere; aut sicut reductum, et sic individua sunt in genere. Et propter hoc, quia differentiae
25 cadunt sic a latere et non sunt adeo vere in praedicamento sicut et genera et ut species, solum per se et primo determinat de generibus et speciebus in genere substantiae, et non de differentiis nisi prout conveniunt cum secundis substantiis.

Sequitur dubitatio de partibus substantiae, utrum sint substantiae vel non. Et patet quod sint substantiae; aliter enim ex non substantia fieret substantia.

Contra hoc est quod substantia est ens per se, et non ens in alio; pars autem substantiae non est ens per se, sed ens in alio.
30

Et praeter hoc: quod tantum est potentia non est substantia secundum actum, et pars substantiae tantum est potentia; dicit enim Aristoteles in quinto *Metaphysicae* quod cum totum sit ex partibus secundum compositionem, denudantur ab esse proprio et transeunt in esse totius, et est ens forma et
35 actus ab actu et forma totius, ergo non sunt substantiae.

Ad istud ergo notandum quod sunt substantiae et in genere substantiae, eo tamen modo quo imperfecta et entia potentia sunt in genere. Sunt enim duae ordinationes in genere, ut in tertio *Physicorum*: una istorum quae sunt in genere perfecta et actu et potentia; altera illorum quae sunt imperfecta et potentia existentia, haec etiam sunt quo et non simpliciter in praedicamento. <M 18rb>

5 Quod ergo obicit quod pars substantiae est ens in alio, dicendum quod non est ens in alio ut accidens dicitur ens in alio, sed sicut pars dicitur esse in toto et actus eius ab actu totius.

10 Quod autem obicit quod est ens potentia et non secundum actum, dicendum est quod ideo sunt tamquam imperfecta in praedicamento, non sunt autem actu, ut dicitur esse actu habere esse distinctum et separatum; sunt tamen eis essentiae et actus; sunt enim eis in toto existentibus operationes, et nos non cognoscimus essentias et actus nisi per actiones, et sic sunt substantiae; non tamen prout transeunt in compositionem totius; sunt entes per se et complete.

Dubitatur consequenter qualiter univoce praedicari possit esse proprietas substantiae, cum praedicari sit ipsis generibus et speciebus essentielle et non accidentale.

15 Et dicendum quod praedicari est eis essenziale, modus autem praedicandi non ; praedicari autem univoce significat de modo praedicandi, et ideo remanet proprietas et non substantiale.

Quaeritur consequenter qualiter a prima substantia nulla fit praedicatio.

Et dicendum, ut supra diximus in Porphyrio, quod non praedicatur sed dicitur, et fiat vis in hoc nomine, “praedicari”, ut ibi notavimus.

20 Vel aliter: quod non praedicatur, quia de subiecto non dicitur, idest de iacto sub, et nihil aliud dicitur recte praedicari.

25 Possumus etiam dicere quod si loquamur de individuo quantum ad hoc quod materia est principium individuans quae facit formam esse hic et nunc, sic nullo modo praedicatur, sic enim non habet nomen, et est eius essentia et essentia cuiuslibet praedicabilis alia et alia, ut in *VII Metaphysicae*; si autem loquamur quantum ad complementum individuationem, ut sint VII accidentia de quibus loquitur Boethius, sic habet nomen, a quo nominationem habet, videtur, et non esse, et sic aliquo modo praedicatur, et hoc vult Porphyrius.

Sequitur dubitatio super hoc quod dicit quod substantia prima significat hoc aliquid; substantia autem secunda, quale quid. Apparet enim ex hoc quod ultima completio secundae substantiae sit qualitas, et sic quod cadat in genere qualitatis.

30 Et praeter hoc: scimus quod significare quale est proprius modus differentiae; quare non conveniet secundae substantiae.

35 Ad istud igitur notandum quod substantia secunda significat quale quid, hoc est agregatum ex materia et forma -- materia, dico, informata differentia -- significando ergo agregatum ex materia et ex forma, significat aliquid; significando autem ipsam differentiam informantem ipsam materiam, significat quale, et sic quale quid. Differentia enim est habens modum qualitatis, etsi habeat verita-

tem substantiae, ut supra notavimus: ex quo patet quod non cadit in genere qualitatis. Nam qualitas quam determinat circa substantiam non est in genere qualitatis. Nam qualitas quam determinat circa substantiam non est in genere qualitatis, sed est modum qualitatis habens, cum differentia sit quale secundum modum, quid autem secundum veritatem est. Est etiam differentia in significatione substantiae et differentiae, quia substantiae secunda significat quale aliquid, differentia autem quale
5 quid. Nomen enim secundae substantiae significat aggregatum ex materia et forma, et sic aliquid; nomen autem differentiae non significat aggregatum sed formam quae est quid secundum veritatem, licet quale secundum modum, ut iam diximus.

Sic ergo secunda <P 48rb> substantia significat <M 18va> quale quid; prima autem signifi-
10 cat hoc aliquid. Significat enim aggregatum ex materia et forma, materia quidem demonstrata et sensibili; non informata differentia. Significando ergo aggregatum ex materia et forma, significat a-
liquid; significando autem materiam ut est demonstrata et sensibilis significat hoc, et sic hoc ali-
quid, et sic significat singulare et unum numero. Apparet autem substantia secunda significare hoc
15 aliquid sub appellationis figura his rationibus: aut ut dicat hanc similitudinem sicut quantitas signi-
ficat quantum et qualitas quale, sic videtur hoc aliquid significare; aut quia nomen secundae sub-
stantiae est in se terminatum, habens figuram terminatam sicut nomen primae substantiae, habens
sic similitudinem cum nomine primae; quia etiam nomina primae imponebantur rebus singularibus
et appellabant res singulares, ideo sic sub appellationis figura, idest impositionis aut similis terminan-
tionis, videtur hoc aliquid significare, et hoc idem decipit nos in figura dictionis cum credimus qua-
20 le quid significare hoc aliquid.

Et praeter hoc: quia substantia secunda est in prima et non est ab ipsa separata, apparet quod si-
cut unum significat hoc aliquid, sic et reliquum.

Sequitur dubitatio propter quid in hoc genere et in quolibet alio determinat Aristoteles de oppo-
sitione magis quam de aliqua condicione entis alia, et magis de illa oppositione quae est contrarietas
25 quam de aliis. Et quia generatio et corruptio per se accidunt in substantiis, quae accidunt secundum
esse et non esse, apparet quod contradictio magis approprietur huic generi.

Ad hoc igitur notandum quod contrarietas tripliciter dicitur. Uno modo dicitur completa diversi-
tas eorum quae sunt in genere, cuius contrarietas est oppositarum differentiarum primarum in quoli-
bet genere, et sic in quolibet genere dicitur esse una contrarietas prima, et haec contrarietas est de
30 consideratione primi philosophi, cuius est dare completionem et sufficientiam divisioni et diversitati
omnium eorum quae sunt in genere. Et est alia contrarietas quae subicit sibi materiam proximo, et
est oppositarum formarum respectu unius materiae, sicut dicitur fortassis quod eadem est materia
magni et parvi, et haec est de consideratione naturalis philosophi, cuius est considerare materiam et
ea quae fiunt in materia. Et est tertia contrarietas quae subicit sibi subiectum constitutum in suo esse
35 specifico, et est occasio alia existendi in illo, et haec est oppositorum accidentium circa subiectum.

Unde et haec est de consideratione logici; substantia enim et accidens subiciuntur considerationi ipsius logici. Quia ergo contrarietas secundum hanc ultimam intentionem erit in aliquibus generibus, et in aliquibus non, et non est manifestum in quibus est et in quibus non, propter hoc necesse fuit inquirere in quolibet genere de oppositione, et maxime de oppositione quae est contrarietas. Quia enim contradictio fundatur supra duo, quorum unum est ens, reliquum non ens, privatio vero et habitus fundantur supra extrema quorum unum est ens actu, reliquum ens in potentia, esse autem quod est in genere est simpliciter ens et actu ens, manifestum est quod oppositio secundum contradictionem et secundum privationem et habitum non fundatur supra ea quae sunt in genere; oppositio autem quae est secundum relationem appropriatur uni generi tantum. Contrarietas autem appareat inesse omni, cum in quolibet genere sit diversitas aliquorum existentium sub genere: propter hoc ergo magis in quolibet de contrarietate; quae enim ingrediuntur per motum habent contrarium; quae autem per mutationem non habent. Et quia contrarietas est causa eius quod est magis et minus, secundum quod scribitur in *V Physicorum*, magis et minus dico in quo est plus et minus de contrario, propter hoc in quolibet similiter est de magis et minus quaestio.

Dubitatur igitur super hoc quod dicit quod substantiae nihil est contrarium, quia quod corrumpitur a contrario corrumpitur, ut habetur in libro *De morte et vita*; et <P 48va> substantia corrumpitur: ergo, etc.

Et praeter hoc: ignis et aqua sunt contraria, ut habetur in libro *De sensu et sensato* et in secundo *De generatione*; et sunt substantiae.

Et praeter hoc: quae sunt nata facere sese extra naturam sunt contraria vel ex contrariis, ut in primo *De generatione*; et substantia est nata facere substantiam extra naturam corrumpendo ipsam: ergo vel erit substantia substantiae contraria vel ex contrariis, et si ex contrariis, cum substantia non sit nisi ex substantiis, adhuc sequitur substantiam substantiae esse contrariam.

Et praeter hoc: probat Aristoteles in *Physicis* quod necesse est ponere principia contraria, et sunt substantiae et non accidentalia.

Et praeter hoc: in quolibet genere est motus, cum sint tot species motus quot species entis, et omnis motus est a contrario in contrarium.

Ad haec ergo dicimus quod substantiae nihil est contrarium. Primum ergo solvitur per hoc quod substantia in quantum substantia non corrumpitur, sed in quantum est qualificata vel qualis: unde corrumpitur per qualitates existentes in ea quae sunt contrariae.

Item, sequitur per hoc quod ignis et aqua non sunt contraria in quantum sunt substantiae sed secundum qualitates contrarias existentes in ipsis. Et sic potius intendit Aristoteles quod qualitas qualitati sit contraria quam substantia substantiae.

Tertium solvitur per hoc quod substantia est nata facere substantiam per naturam quam inest ei actio, et substantia nata est fieri extra naturam per naturam per quam inest ei passio; tota ergo gen-

eratio et corruptio quae accidit in substantiis debetur eis secundum quae est eis actio vel passio. Haec autem sunt qualitates activae et passivae: unde his debetur per se contrarietas quae reperitur in substantiis.

5 Quartum solvitur per hoc quod contrarietas quae est principiorum radicatur proximo in materia, et hanc bene concedimus esse in substantiis; sic autem non intenditur hic de contrarietate.

Quintum et ultimum solvitur per hoc quod in substantia est motus qui est mutatio proprie; haec autem non est a contrario in contrarium sed ab opposito in oppositum: sic igitur patet substantiae nihil est contrarium.

10 Sequitur quaerere utrum magis et minus sit possibile in substantiis. Quia autem quaecumque sunt miscibilia sunt intensibilia et remissibilia, sicut manifestum est ex natura mixtionis in qua corrumpitur intentiones ultimae; substantiae autem sunt miscibiles, et sic accidit substantiam esse intensibilem et remissibilem.

Sed istud solvitur per hoc quod intensio et remissio quae accidit in miscibilibus debetur qualitatibus activis et passivis et non naturae ipsius substantiae.

15 Sed adhuc, scimus quod generatio duplex est, simpliciter et secundum quid, secundum quod habetur in primo *De generatione*: et est generatio simplex quando generatur substantia magis ens secundum speciem, ut ignis; secundum quid quando generatur substantia minus ens secundum speciem, ut terra. In substantiis ergo est aliquid magis secundum speciem et formam, et aliquid minus, cum forma antequam materia dicebatur “substantia”.

20 Sed istud solvitur per hoc quod illud magis et minus debetur per se et primo materialibus dispositionibus. Dicitur enim magis secundum speciem cuius materia est magis subtilis; magis autem in subtilitate debetur ei quod est magis, et minus ex rarefactione et obdensatione; subtilior enim est materia quae est magis rarefacta, et minus subtilis est quae magis densata. Tota ergo intensio et remissio in substantiis debetur dispositionibus quae fiunt circa substantiam, non autem essentiae ipsius substantiae.

Sed adhuc: generatio non est subit sed successiva; necesse est ergo ponere in substantia vel generatione substantiae aliquando maiorem accessum ad substantiam, aliquando minorem, et sic substantiam participari secundum magis et minus.

30 Sed istud solvitur, quia generatio uno modo est subita, quantum ad inductionem formae substantialis in materia, alio modo successiva, scilicet quantum ad alterationem quae praecedit susceptionem formae in materia, et quo ad illam est accessus maior et minor, quo ad reliquam nequaquam. Et quia illa fuit secundum transmutationem in accidente, ideo magis et minus quod ibi accidit per se debetur accidentibus.

35 Sequitur de causa per quam inest haec passio substantiis. Et est quia substantiae nihil est contrarium, et reducitur in syllogismum hoc modo: quaecumque suscipiunt magis et minus habent contra-

rium secundum quod <P 48vb> dicitur magis et minus -- dico in quo est plus vel minus de contrario -- sed substantiae non habent contrarium; ergo non suscipiunt magis et minus. Et causa quia non habent contrarium est quod contraria sunt quae nata sunt fieri circa subiectum unum, manens unum secundum veritatem; et substantia non est nata fieri circa aliquid secundum idem modum.

5 Sequitur quaerere de proprio substantiae quod est *quod cum sit unum et idem*, etc. (5, 4a10-11) Et videtur quod nulli conveniat, quia si sic, sequitur impossibile: cum enim contraria non possint simul esse actu in eodem, si suscipit contraria, primo suscipit unum, postea reliquum; quare quod prius infuit expellitur, igitur erit expellens, igitur movens, igitur motum et passum; ergo a contrario, quia quod patitur a contrario patitur, ut supra, sic igitur substantiae erit aliquid aliquid contrarium; sed hoc est impossibile, ergo primum; non suscipit igitur contraria.

Sed istud solvitur per hoc quod diximus quod substantia quanta et qualis patitur et est passibilis per naturam qualitatis existentis in ipsa, et sic habet contrarium, et sic ergo suscipit.

Sequitur quaerere an insit soli. Et apparet quod non quia convenit quantitati continuae et discretiae; linea enim est susceptiva curvi et recti, numerus parus <M 19rb> et imparis.

15 Sed istud solvitur per hoc quod in aliis generibus non est unum et idem numero susceptibile contrariorum, sed unum genere vel specie; non enim est unus numerus susceptivus parus et imparis, neque una line curvi et recti, sed quae semel est recta, semper est recta; est enim per se accidens, et omnino accidens non est unum numero de se; substantia autem de se est numero una.

20 Sequitur quaerere an insit omni. Quoniam autem est conveniens substantiae quae est numero una, et haec est solum substantia prima, soli primae conveniet.

Amplius, cum omnis contrarietas nascitur ex materia, non erit susceptivum contrariorum nisi quod est in materia vel materiam habens; substantia autem secunda, cum sit universale, est abstracta a materia; non erit igitur secundum quod huiusmodi susceptiva contrariorum.

25 Amplius, esse susceptivum contrariorum secundum quod huiusmodi est mobile et passibile; secunda autem substantia non est mobilis aut passibilis, cum sit forma aut universale; ergo, etc.

30 Sed istud totum solvitur per hoc quod potentia per se attribuitur secundis substantiis, actus autem ipsis in quantum sunt et numerantur in primis, et sic per se primis. Secundum quod accidit universaliter de qualibet passione propria, tangens ergo radicem potentiae, dicit, *unum et idem* (5, 4a10-11); tangens cui inest accidens, dicit, *numero unum* (5, 4a18): sic ergo hoc proprium convenit primae et secundae et universaliter omni.

Sed adhuc est dubitatio, an conveniat primae omni; non enim convenit corporibus supracaelestibus. Unumquodque enim susceptivum contrariorum est passibile; corpora autem supracaelestia sunt impassibilia essentia; ergo non erunt susceptiva contrariorum.

35 Et praeter hoc: quaecumque sunt susceptibilia contrariorum sunt susceptiva contrariorum principiorum; sed supracaelestia non sunt susceptiva contrariorum principiorum; ergo nec contrariorum.

Dico autem uno modo contraria principia rarum et densum, alio modo grave et leve, tertio modo calidum et frigidum; et haec omnia removet Aristoteles a corporibus supracaelestibus.

5 Sed istud solvitur per hoc quod est dicere corpora supracaelestia esse aliquo modo susceptiva contrariorum, quia contrariorum situum, quia transmutat situm. Caelum enim totum, etsi non mutet locum secundum substantiam, mutat tamen secundum formam; sed haec contrarietas non est secundum substantiam, nec secundum qualitatem, sed est diversitas quaedam in situ, sicut declaratur in *VIII Metaphysicae*.

Sed adhuc dubitatur: ignis enim, cum sit calidus, non est susceptivus frigiditatis, nec corvus albedinis, nec nix nigredinis; qualiter ergo convenit omni?

10 Sed istud solvitur per hoc quod suscipere dicit aliquid de rebus extrinsecis positus; sed secundum hoc sunt huiusmodi susceptiva aliquo modo contrariorum, quia contrariarum dispositionum et contrariorum situum.

15 Et posset etiam dici quod licet non secundum actum subsistendi et esse actuale sunt susceptiva contrariorum, secundum esse tamen intellectuale sunt susceptiva contrariorum, teste Porphyrio, “potest enim corvus subintellegi, etc.”

Sed dubitatur adhuc de substantiis separatis quae non sunt omnino immobiles et impassibiles; sunt autem, quantum in ipsis est, passibiles et ad bonum et ad malum, tamen de voluntate primi sunt in bono confirmatae, et etiam natura quod in transmutatione contrariorum substantia remanet una numero, <P 49ra> cuius materia fuit una numero, ut in *V Metaphysicae*.

20 Et haec de substantia ad praesens sufficiant. <M 19va>

LECTIO 8

Quantitatis autem aliud, etc. (6, 4b20) In parte ista est sermo de dicibili quod est quantitas, et dividitur primo loco haec pars de quantitate in duas, in quarum prima est sermo de ordinabilibus in genere quantitatis; in secunda, ut ibi: *Amplius quantitati*, etc. (6, 5b11), de proprietatibus et passionibus ipsa ordinabilia consequentibus. Et patet sufficientia et ordo per hoc quod pars prima determinat essentialia quantitatis, secunda autem accidentalialia.

Prima igitur pars in duas dividitur partes, quia ordinabilia in genere quantitatis sunt quantitates per se et quantitates per accidens: in prima est sermo de quantitibus per se; in secunda, ut ibi: *Propria autem quantitates*, etc. (6, 5a38), de quantitibus per accidens. Et patet sufficientia et ordo, quia per se est ante per accidens. Nec est hic sermo de ordinatione ordinabilium in genere quantitatis, quia prius fuit sermo super hoc in parte de substantia et universaliter de ordinatione accidentis, et hoc recta ratione, cum accidentis esse est inesse.

Prima autem harum adhuc in duas: in prima est sermo de quantitibus per se in universali; in secunda, ut ibi: *Est autem discreta*, etc. (6, 4b22-23), de quantitibus per se in particulari. Nec est pluribus modis considerare aliquid, cum omne universale prius particulari.

In prima autem parte dat duas divisiones quantitatis, et secundum hoc dividitur in duas: in prima est sermo de divisione quantitatis quantum ad has differentias, continuum, discretuum; in secunda, ut ibi: *Et alia quidem ex habentibus*, etc. (6, 4b21), quantum ad has differentias, habere positionem vel non habere positionem. Et sub his differentiis comprehenduntur omnes species quantitatis per se, et propter hoc dictum est prius quod in parte ista est sermo de quantitibus per se in universali. Et sufficiunt hae partes, et recte ordinantur, quia quantum ad has differentias, scilicet continuum, discretum, habet quantitas suum esse formale, quantum vero ad alias suum esse materiale. Continentia quidem plana est. Et terminatur pars in qua est intentio de quantitibus per se in universali.

Et sequitur pars in qua est sermo de illis in particulari, et dividitur in duas: in prima est sermo de speciebus quantitatis per se quantum ad has differentias, continuum, discretum; in secunda, ut ibi: *Amplius autem alia*, etc. (6, 5a15), quantum ad has differentias, habere positionem et non habere. Et patet sufficientia et ordo ex praehabitis.

Prima autem harum adhuc in duas: in prima enumerat species quantitatis quantum ad has differentias, continuum et discretum; in secunda, ut ibi: *Partium etenim*, etc. (6, 4b25), exequitur de illis, et sic solvit has quaestiones, “Quot ?” et “Quae sunt ?” Nec sufficeret prima sine secunda. Et patet ordo; enumeratio enim est prior executione.

Pars autem prima adhuc in duas: in prima enumerat species quantitatis discretarum; in secunda, ut ibi: *continua autem*, etc. (6, 4b23), species quantitatis continuarum. Et est discreta quantitas prior continua secundum veritatem, ut patebit postea. Patet autem sufficientia.

Pars autem secunda in qua exequitur similiter in duas: in prima exequitur de speciebus quantitatis discretarum; in secunda, ut ibi: *Linea vero* (6, 5a1), de speciebus quantitatis continuarum. Et exequitur hic eo modo quo enumeravit: et ex hoc patet sufficientia et ordo.

5 Prima autem harum adhuc in duas: in prima exequitur de specie quantitatis discretarum quae est numerus; in secunda, ut ibi: *Similiter autem et oratio*, etc. (6, 4b32), <M 19vb> de specie quae est oratio. Et de harum sufficientia et ordine patebit postea.

10 In prima igitur parte unicam solam intendit conclusionem, et est illa quod numerus est discreta quantitas, quam ostendit sic: omnis quantitas cuius partes non copulantur ad aliquam communem terminum est discreta quantitas; sed partes numeri non copulantur ad communem terminum; ergo numerus est discreta quantitas. Solum ponit minorem cum sua declaratione, cum dicit, *Partium etenim numeri*, etc. (6, 4b25); maior enim patet ex definitione discreti quae hic supponitur; et adiungit conclusionem cum dicit, *quapropter*, etc. (6, 4b31)

15 In parte quidem secunda duas ostendit conclusiones de oratione, scilicet quod est quantitas et quod est discreta, quas primo proponit, cum dicit, *etenim oratio*, etc. (6, 4b33); secundo ostendit, et primo primam, cum dicit, *mensuratur enim*, etc. (6, 4b33), secundo secundam, cum dicit, *ad nullum enim*, etc. (6, 4b35)

20 Primam igitur ostendit sic: cuius partes sunt quantitates, ipsum est quantitas; sed partes <P 49rb> orationis sunt quantitates; ergo oratio est quantitas. Solum probat minorem sic: quibuscumque insunt differentiae quantitatis, ipsa sunt quantitates; sed partibus orationis insunt differentiae quantitatis; ergo sunt quantitates. Solum explanat minorem, cum dicit, *mensuratur enim*, etc. (6, 4b33).

25 Secundam quidem ostendit sic: cuius partes non copulantur ad terminum communem, haec est discreta quantitas; partes orationis non copulantur ad communem terminum; ergo oratio est discreta quantitas. Solum dat minorem cum sua declaratione. Magis autem probat quod oratio sit quantitas quam numerus, quia magis dubitatur de oratione cum sit quantitas, non sic autem numerus aut ali-

30 quod aliorum. Et terminatur haec pars in qua exequitur de speciebus quantitatis discretarum. Et sequitur pars in qua exequitur de speciebus quantitatis continuarum. Et quia species quantitatis continue sunt V, de quarum sufficientia et ordine patebit postea, dividitur secundum hoc pars ista in V, in quarum prima exequitur de prima specie, et sic deinceps; et ubi incipiant et terminantur partes patet in littera. In qualibet ergo unicam solam dat conclusionem, et est quod sint continua.

35 In prima ergo intendit hanc conclusionem quod linea sit continuum, quam primo proponit, secundo ostendit: proponit, cum dicit, *Linea vero*, etc. (6, 5a1); ostendit, cum dicit, *potes enim*, etc. (6, 5a1) Demonstratio talis est: cuius partes copulantur ad communem terminum, hoc est continua quantitas; partes lineae copulantur ad communem terminum, scilicet ad punctum; ergo, etc. Solum dat minorem. In hac eadem demonstratione ostendit de superficie quod sit continuum, et solum dat

minorem cum dicit, *et superficiei*, etc. (6, 5a2-3) Et sequitur de corpore, et etiam solum dat minorem, cum dicit, *Similiter autem et in corpore*, etc. (6, 5a4) Et similiter de tempore, et dat conclusionem cum dicit, *Est autem*, etc. (6, 5a6), et minorem cum dicit, *praesens*, etc. (6, 5a7) Et similiter de loco, et dat conclusionem cum dicit, *Rursus locus*, etc. (6, 5a8), et minorem cum dicit, *ad unum enim communem terminum* (6, 5a13-14), et declarationem maioris cum dicit, *locum enim*, etc. (6, 5a9), quae patet in littera, et iterum conclusionem cum dicit, *quapropter*, etc. (6, 5a13) Et terminatur pars in qua est sermo de speciebus quantitatis per se quantum ad has differentias, continuum, discretum; et patet quod quaedam sunt quantitates continuae et quaedam discretae. <M 20ra>

10 Et sequitur pars in qua est sermo de speciebus quantitatis per se quantum ad has differentias, habere positionem et non habere positionem. Et in parte ista unicam solam intendit conclusionem, quam primo proponit cum dicit, *Amplius alia*, etc. (6, 5a15); secundo, ostendit cum dicit, *ut lineae*, etc. (6, 5a17) Conclusio quidem est ista: quarumdam quantitatum partes habent positionem, quarumdam autem non; sed quia haec conclusio duas habet partes, unam affirmativam, alteram negativam, penes hoc dividatur pars quae ostendit eam in duas. In prima ostendit partem affirmativam; 15 in secunda, ut ibi: *In numero autem*, etc. (6, 5a23-24), partem negativam. Et iuxta hoc patet sufficientia et ordo.

Pars vero quae ostendit primam partem continet unicam demonstrationem, quae est ista: partes lineae, superficiei, corporis et loci habent positionem; sed hae sunt quantitates; ergo quarumdam 20 quantitatum partes habent positionem. Minorem supponit; maiorem ostendit, et eius probatio continet IV particulas, quia quatuor implicantur in subiecto, quarum prima ostendit quod partes lineae habent positionem, et sic deinceps. De partibus ergo lineae sic: cuiuscumque partes est assignare ubi sunt, eius partes habent positionem; sed partes lineae est assignare ubi sunt; ergo habent positionem. Huius primo proponit conclusionem cum dicit, *ut lineae*, etc. (6, 5a17); secundo minorem cum dicit, *singulum namque*, etc. (6, 5a18) Hanc eadem demonstratione ostendit de partibus superficiei, et dat conclusionem cum dicit, *similiter autem et particulae*, etc. (6, 5a20-21), et minorem cum dicit, *similiter autem unumquodque*, etc. (6, 5a21) Et similiter de partibus corporis, et innuit minorem cum dicit, *Sed et soliditas quoque*, etc. (6, 5a23) Et similiter de partibus loci innuit etiam minorem cum dicit, *similiter et loci*. (6, 5a23) Et sic terminatur pars quae ostendit primam partem 30 conclusionis, scilicet partem affirmativam.

Et sequitur pars quae ostendit negativam, et continet similiter unicam demonstrationem principalem sicut pars praecedens, et est ista: numeri, temporis et orationis partes non habent positionem et sunt quantitates; ergo quorundam quantitatum partes non habent positionem. Minorem supponit sicut prius; maiorem ostendit, et eius probatio continet particulas tres, quia tria implicantur in subiecto, quarum prima ostendit quod partes numeri non habent positionem, et sic deinceps. De parti- 35

bus ergo numeri ostendit sic: cuius partes non est assignare ubi sunt, eius partes non habent positionem; partes numeri <P 49va> non est assignare ubi sunt; ergo, etc. Primo ponit conclusionem; secundo tangit minorem cum dicit, *ut situm alicubi* (6, 5a25), conclusionem cum dicit, *In numero*, etc. (6, 5a23-24) Et tunc ostendit idem de partibus temporis, sic: quaecumque non permanent non habent positionem; partes temporis non permanent; ergo non habent positionem. Primo dat conclusionem cum dicit, *sed neque*, etc. (6, 5a26); secundo minorem cum dicit, *nihil enim*, etc. (6, 5a27) Et tunc ostendit idem de partibus orationis et eadem demonstratione qua de partibus temporis. Et primo ponit conclusionem cum dicit, *Sed et oratio*, etc. (6, 5a33); secundo, minorem cum dicit, *nihil enim*, etc. (6, 5a33); tertio iterum conclusionem in vi totius medii cum dicit, *quapropter*, etc. (6, 5a35); et tunc in fine dat eius conclusionem principalem et non demonstratam cum dicit, *Alia itaque*. (6, 5a36) Et in parte ista unam solam ostendit conclusionem, quam primo proponit cum dicit, *Proprie autem*, etc. (6, 5a38), secundo ostendit cum dicit, *ad haec enim*. (6, 5a39) Et est conclusio ista: haec praedicta sunt quantitates per se, et si aliae sint, sunt quantitates per accidens. Hanc autem ostendit unica demonstratione sic: <M 20rb> per quaecumque alia dicuntur quanta, illa sunt quantitates per se, reliqua per accidens; sed per solas praedictas dicuntur alia quanta; ergo illa sunt quantitates per se, reliqua accidens. Maior patet per hoc quod per accidens et per alterum idem sunt aut parum differunt; minorem vero ostendit dicens in littera, *ad haec enim* (6, 5a39); et hoc per exemplum in fine concludit, dicens, *quare solae*, etc. (6, 5b8) Et terminatur haec totalis pars quae est de ordinabilibus in genere quantitatis, et in qua manifestat quantitatem penes essentialia sive substantialia. Et patet continentia, ratio et ordo partium et sufficientia.

Primum dubitabile est de ordine: cum quantitas non assistat substantiae nisi positione mediante, quapropter prius de positione.

Et hoc verum est, sed huiusmodi positio non est genus sed differentia quantitatis, et est partium situs absolute, scilicet intraneorum; positio autem quae est genus est situs partium entium in toto et in loco et non absolute.

Sed adhuc arguunt quidam qualitatem esse prius quantitate, tum quia differentiae substantiales sunt priores quantitate, cum sint de essentia substantiae, differentia autem erit qualitas entium, tum quia qualitas est dispositio universalior, quod arguunt ex hoc quod quantitas reperitur solum in substantiis corporeis, qualitas autem in substantiis quae sunt corporeae et non sunt corporeae.

Sed primum solvitur per hoc quod differentia est qualitas secundum modum, substantia autem secundum veritatem et esse, ut supra docuimus.

Secundum autem solvitur per interemptionem huiusmodi, scilicet quantitas reperitur solum in substantiis corporeis, quia quantitas non determinatur ad substantias quae sunt corporeae nisi ratione continui; ratione autem discreti reperitur universaliter in substantiis quae sunt corporeae et non corporeae, et omnino quodlibet genus rerum est materia respectu numeri, et non sic est de qualitate.

Remanet igitur discreta quantitas universalior dispositio, et sic natura prior, secundum quod asserit Boethius quod quaecumque a primaeva rerum natura sunt constituta ratione numerorum videntur esse formata.

Sequitur quaerere quare non definit quantitatem, cum sic detur cognitio rei in se.

5 Cuius est ratio quod si esset definitio ipsius, non fieret per naturae notiora sed nobis, sicut definitur qualitas, “Qualitas est secundum quam quales dicimur.” Si igitur sic definiretur quantitas, non esset hoc conveniens, cum quantitas sit forma mathematica; formae enim mathematicae non habent essentialem comparisonem ad subiectum. Sed aliter non definitur genus generalissimum nisi per notiora nobis; definitur tamen quantitas sicut in *V Metaphysicae*, “Quantitas est quae dividitur in
10 res quae sunt talia, quorum unumquodque habet naturam ut sit unum aliquid ex eis.” Sic ergo non definitur hic quantitas sed dividitur.

Sed tunc quaeritur propter quid non dividitur per primam et secundam sicut substantia.

Et solvitur per hoc quod quantitas, et omnino accidens, non fit particulare aut primum per aliquid quod est de ipso sed per illud quod est extra, scilicet subiectum; substantia autem fit particularis per aliquid quod est de sua essentia, scilicet per materiam: et ideo primam et secundam remanent
15 differentiae essentialis substantiae et accidentales quantitati et aliis, et ob hoc dividitur sic.

Postea <P 49vb> quaeritur quare non dividitur quantitas per continuationem et discretionem, cum haec nominent species, sed <M 20va> per continuum et discretum.

Et istud solvitur per hoc quod species in quolibet genere est aliquid aggregatum ex materia et
20 ex forma, et non forma sola, et ideo homo remanebat species in genere substantiae, non autem humanitas; eodem autem modo ex parte ista, continuum et discretum, non autem continuatio et discretio, et aliter non dicerentur enim huiusmodi de composito.

Sed adhuc dubitatur de forma divisionis, scilicet quare non dividitur in continuam et discretam, sed hoc modo, *aliud continuum, aliud discretum* (6, 4b20); sic etiam videtur quod incongrue.

25 Sed causa est ut sic notetur diversitas in essentia, quae maxime significatur sub hac forma, “aliud continuum, aliud discretum”; est enim “aliud” propriissimum relativum diversitatis sicut “idem” identitatis.

Sed adhuc quaeritur, cum substantia, cuius quantitas est mensura, quaedam sit similis naturae in toto et in partibus, quaedam dissimilis -- continuum autem est mensura substantiae existentis naturae similis in toto et in partibus -- propter quid non est alia differentia quantitatis quae sit mensura
30 substantiae existentis dissimilis naturae in toto et in partibus.

Sed istud solvitur per hoc quod continua quantitas est mensura utriusque substantiae. Identitas autem et diversitas quam diximus principium habent naturam, et ob hoc non est sermo hic super hoc. Quoniam autem quantitas erat ut esset mensura substantiae, substantia autem mensurata aut
35 mensuratur in se ipsa et absolute, aut ut est cum alio: substantia quidem absolute mensurata et quan-

titas continua; substantia vero ut est cum alio mensurata est quantitas discreta. Patet autem sufficientia huius divisionis, *Quantitatis aliud continuum, aliud discretum*, etc. (6, 4b20); de alia quidem divisione dicetur postea.

5 Sequitur quaerere utrum quantitas continua sit natura prior discreta vel econverso. Et quia discretum cognoscimus negatione continui, videtur continuum esse prius.

Amplius, quia continuum est magis determinatum in unitate, discretum vero magis in multitudine, et ideo videtur continuum prius esse discreto sicut unum ante multum.

Amplius enim, definitio continui datur per affirmationem, definitio discreti per abnegationem.

10 Contrarium autem apparet sic: discretum est dispositio universalior quam continuum, cum reperiatur in substantiis quae sunt corporea et non corporea; non sic continuum; ergo prior.

Amplius, quod est magis ens actu est prius ei quod est magis ens in potentia, et sic se habet discretum respectu continui. Et hoc patet per hoc quod diximus prius, “Quaecumque a primaeva, etc.”: quod concedimus.

15 Quod autem negatione continui cognoscimus discretum, hoc non arguit continuum esse prius sed posterius; similiter cognoscimus universale per negationem particularis, per remotionem enim et separationem dispositionum materialium existentium ex parte ipsius particularis intelligimus essentiam universalis; nam huiusmodi aliquid addebat particulare super universale, remanebit tamen universale natura prius. Similiter, quia privando corpus intelligimus superficiem, et privando super-
<M 20vb> -ficiem lineam, et privando lineam punctum, et privando punctum a situ intelligimus
20 unitatem, et sic numerus: numerus ergo se habet sicut ex minoribus respectu aliorum, alia vero sicut ex oppositione, et scimus quod illud quod est ex minoribus est prius eo quod est ex appositione.

Aliud solvitur per hoc quod discretum est unum sicut continuum, et etiam de hoc erit sermo postea.

25 Tertium solvitur per hoc quod negationi existenti in definitione discreti subicitur aliqua affirmatio, et est negatio solum secundum dictionem.

Et est ista similiter valens ad oppositum, quia discretum est divisibile potentia, actu divisum, continuum est potentia divisibile, actu indivisum. Est igitur discreta natura prior continua, et propter hoc exequitur prius de discreta; in divisione tamen praeponit continuum discreto, et causa est ut significet quod omnia dividenda sunt aequae prima, et ideo posterius praeponit priori natura, non tamen sic in exequendo.

30 Numerus discretarum sic accipitur: omnis quantitas est mensura, et discreta quantitas est quantitas, ergo erit mensura, sed <P 50ra> discretarum partium: aut igitur permanentium, et ita est numerus; aut non permanentium, et est oratio.

Numerus continuarium sic concluditur priori argumento quod quantitas continua sit mensura; sed partium continuarum aut igitur partium habentium esse sicut substantia quae fit, sic autem est tempus -- est enim mensura rei habentis esse in fieri -- aut partium habentium esse sicut substantia quae facta est; sed hoc dupliciter, aut intrinsecus aut extrinsecus; si extrinsecus, sic est locus; si intrinsecus, aut igitur secundum unam dimensionem, et erit linea, aut secundum duas, et erit superficies, aut secundum tres, et erit corpus: nec sunt plures, ut patet in principio *Caeli et mundi*, nec plures igitur quantitates.

Separat igitur tempus et locum per hoc quod dicit, *Amplius praeter haec*, etc. (6, 4b24), quia non sunt adeo vere quantitates sicut et aliae: unde primus philosophus ponit tempus quantitatem per accidens, locum vero esse aliam quantitatem a corpore. Super hoc tamen erit sermo in sequentibus.

Sequitur propter quid prius de numero.

Sed causae huius est quia subiectum numeri est corporeum et incorporeum; subiectum autem orationis corporeum solum, et sic universalius: et ideo prius de numero.

Amplius, numerus est discretorum permanentium, oratio vero non permanentium.

Sequitur quaerere in quo genere sit unitas, et quia est aliquid oportet quod sit substantia vel accidens. Patet autem quod non est substantia, ergo accidens, et non est assignare ei aliquid generum accidentium praeter quam quantitatem; est igitur quantitas, et non composita, ergo simplex. Et hac ratione usi sunt ponentes quantitates esse simplices, scilicet unitatem, punctum, instantem, et si quid his est simile.

Amplius, si unitas non est in genere, ergo nec numerus, ut videtur, qui componitur ex unitatibus praecise, cum numerus non sit nisi unitates aggregatae sint; sed hoc est falsum, ergo primum: erit igitur unitas in genere quantitatis. Hoc etiam vult Boethius .

Sed contra hoc est quod nec est continua, quia nec linea, etc., nec discreta, quia nec numerus, nec oratio.

Et dicendum quod quantum habet de veritate <M 21ra> in grammatica ponere numerum singularem, tantum habet de veritate ponere unitatem quantitatem. Quaedam enim dicuntur quantitates quia sunt principia quantitatis, sicut quaedam dicuntur esse substantiae quia sunt principia substantiae, nec tamen sunt quantitates ut species vel genus in praedicamento quantitatis, quod patet per Aristotelem in tertio *Metaphysicae*, dicentem quod quaedam dicuntur entia quia sunt via in ens vel principium entis. Hoc igitur modo dicitur quod unitas est in genere quantitatis. Cum enim unitas quae est principium numeri nihil sit nisi indivisio entis, patet quod non sit essentia completa cui attribui possit aliquod generum, quia prima indivisio cuiuslibet entis magis sonat in privationem quam in habitum et essentiam; erit tamen principium numeri qui est determinati generis.

Nec oportet semper quod principia ex quibus est aliquid sint univoca cum tot quod est ex illis, quamvis dicat Aristoteles impossibile esse ex non substantiis fieri substantiam, ex non quantis

quantum. Quod enim oportet principia substantiae esse substantias, hoc non est de generali natura compositi ut componentia scilicet assimilentur composito in genere, sed est hoc a speciali natura substantiae. Quare? Quia ipsa est natura prius quovis accidente, ideo non potest accidens esse principium eius. Quod autem dicitur, ex non quantis impossibile est fieri quantum, intelligendum est in quantitate continua specialiter; in discretis enim necesse est ex indivisibilibus fieri quantum: et hoc est fortassis prima differentia quantitatis continuae et discretae. Hoc ergo modo est unitas in genere ut principium dicitur esse in genere, non tamen simpliciter; nec obstat, quod circuit omne in nullo est.

Haec intentio, genus, accidit omni generi, ergo relationi, et tamen patet quod hoc ipsum relatio est essentia huius intentionis, nec tamen accidit species generi modo accidentis, nec atmen dico quod fit sic de unitate; magis tamen habet reduci ad genus quantitas.

Iuxta iam dicta pateat de puncto et instanti et de aliis similibus.

Sequitur de numero: cum autem sit determinatus in multitudine magis quam in unitate, quodlibet autem genus rerum est pars entis et unius <P 50rb> simpliciter, dubitatur qualiter remanet pars generis.

Et oportebit dicere quod ex parte materiae est multitudo, ex parte formae est unitas, et est materia numeri per se unitas et unitas, multiplicatio autem sive replicatio eiusdem remanet ei pro forma; nam secundum quod differt replicatio unitatis, differt numerus secundum speciem; et quia replicatio eiusdem est numeri forma, necesse est numerabilia omnia secundum aliquem speciem numeri naturam unam vel intentionem communicare, et signum huius est quod non dicimus, “duo homo”, sed “duo homines”, “duo animalia”, “duae substantiae”, “duo entia”, “duo non entia”, et similiter in aliis.

Postea, apparet posita aliqua specie numeri, species numeri ire in infinitum, quia posito binario, possum dicere quod binarius unus est; si autem unus est, ergo unitas binarii est; sed ista unitas qua est unus non est aliqua istarum ex quibus constituitur binarius, ergo tertia unitas: ergo ternarius numerus est igitur unus, et sic ut prius, et sic in infinitum. Probatio quod ista unitas qua binarius est unus non est aliqua istarum ex quibus constat binarius: impossibile est totum esse partem; sed ista unitas qua binarius est unus est totum ad binarium; non ergo est aliqua istarum quae sunt partes binarii. <M 21rb>

Sed solvitur per hoc quod unitas qua binarius est unus nec est aliqua istarum ex quibus fuit binarius, nec differt ab eis, quia sic se habet sicut totum respectu earum; unitas enim qua binarius est unus non differt ab essentia binarii, nec essentia binarii eadem est, nec differt simpliciter ab eis ex quibus fuerit binarius.

Postea, sequitur de multiplicatione numeri secundum species: scimus autem quod multiplicatio secundum numerum non facit diversitatem in specie; multiplicatio autem eius quod est specie uni-

cum et indivisibile est solum secundum materiam multiplicatio, ergo multiplicatio eius quod est unum et indivisibile specie non facit diversitatem in specie; talis autem est multiplicatio unitatis, cum unitas sit unum et specie indivisibilis; multiplicatio igitur unitatis non erit faciens diversitatem in speciebus numeri; sed species numeri aliter non differunt; ergo numeri non differunt specie sed
5 solum materia.

Sed hoc solvitur per hoc quod multipliciter multiplicatur unitas: aut per materiam, verbi gratia per ea quae numerantur unitatibus, et haec multiplicatio non facit differentiam in speciebus numeri, secundum quod dicit Aristoteles quod idem est denarius asinorum et equorum; aut multiplicatur unitas abstrahendo a materia et a rebus numeratis, et hoc facit diversitatem in speciebus numeri. Ista
10 enim multiplicatio fuit sive replicatio unitatis supra unitatem secundum abstractionem a materia et a rebus numerabilibus; binarius tamen et ternarius non nominant species numeri ut per relationem ad materiam. Ideo notandum quod non intendit de numero numerato qui est res numerata quod sit quantitates, sed de numero numerante; non autem de numerante qui est in anima, sed de numero numerante qui est mensurans res numeratas, sic enim est discreta quantitas .

15 Sequitur de oratione, et est quaestio utrum sit quantitas vel non, et vult Aristoteles quod sic.

Contrarium apparet sic: secundum enim quantitatem dicitur aliquid quantum: sed secundum orationem non dicitur aliquid quantum; ergo non erit quantitas.

Et praeter hoc: proprium fuit quantitatis facere aequale vel inaequale; secundum orationem non dicitur aliquid aequale vel inaequale; igitur non erit in genere quantitatis.

20 Amplius, quantitas fuit propter bene esse ipsius substantiae quantenus esset ipsius mensura; necesse est ergo ponere substantiam aliquam mensurari a quolibet posito in genere quantitatis; non autem dicimus quod oratio alicuius substantiae sit mensura.

Item, nulla qualitas est quantitas: oratio est qualitas, cum sit passio vel passibilis qualitas inferens passionem sensui: ergo non est quantitas.

25 Istud totum solvitur per hoc quod oratio dicitur uno modo ipsa vox significativa, et haec non remanet quantitas; alio modo dicitur mensura orationis, quae est vox ut est in prolatione, et ita haec remanet in genere quantitatis discretae. Orationis enim quae vox et partium ipsius ut est in prolatione, aliquid est mensura. Quae igitur mensurant partes orationis ut sunt in prolatione <P 50va> sunt tempora particularia secundum quod mensuratur syllaba longa vel brevis; mensura autem totius orationis ut est in prolatione est ipsum tempus totum collectum ex particularibus temporibus et haec
30 est oratio quae est discreta quantitas, nec absolve a temporibus particularibus, nec a toto tempore <M 21va> collecto ex illis. Quidquid vocis est haec, hoc igitur remanet discreta quantitas, quia sicut partes orationis mensurae sunt ab invicem seiunctae et distinctae, sic prolatio est divisa et distincta a prolatione, et sic tempus discretum quod est mensura prolationis est diversum et distinctum

a tempore: totum igitur collectum ex illis habebit discretionem in partibus et remanebit discretum, et haec est oratio, ut iam diximus et secundum quod iam diximus.

5 Nec sequitur propter hoc quod oratio sit tempus numeratum, quia tempus est mensura motus, oratio autem non, sed vocis quae generatur ex motu; nec absolvitur etiam ab omni eo quod vocis est, ut diximus, sicut tempus nec est etiam numerus temporis, quia numerus universaliter est mensura entium eo modo quo carent ordine, oratio autem mensurat vocem secundum quod ordinationem habet in suis partibus, cum sit mensura vocis secundum quod est in fieri, non secundum quod est ens sicut numerus; in fieri autem est essentialiter secundum prius et posterius. Patet etiam quod non est mensura cuiuslibet vocis sed litteratae, cum sit mensura vocis habentis ordinationem in suis partibus.

10 Ex his quidem omnibus manifestum est qualiter dicitur aliquid secundum orationem quantum, et hoc est oratio quae est vox.

Et eadem dicitur secundum orationem aequalis vel inaequalis: est enim oratio aequalis orationi quae secundum sui prolationem aequali tempore mensuratur.

15 Patet etiam quod sit mensura vocis, quia vocis compositae ex diversis litteris in forma et specie, quae quidem vox secundum maiorem contractionem et minorem potest dici qualitas et quantitas et etiam substantia.

Nota igitur quod sumitur hic “oratio” ad omnem dictionem dummodo sit plurium pedum et plurium syllabarum. Dicit igitur, *mensuratur syllaba brevis et longa* (6, 4b33-34), et intendit quod ab alio mensuratur et illud aliud sit pars orationis quae est quantitas discreta, cui insunt differentiae quantitatis; et quia sic insunt alia quae sunt partes, intendit quod totum sit quantitas, differentiae autem temporis sive quantitatis hic sunt breve et longum, et praecipue cum tempus dividatur in haec apud Priscianum secundum quod est accidens syllabae. Subdit, *dico autem orationem cum voce prolatam* (6, 4b34-35), sic significans quod oratio quae dicitur “vox” ut est in prolatione, mensuratur ab oratione quantitate, sic excludens orationem secundum quod habet esse in scriptura aut in mente, et non excludit eius substantiam; oratio enim quantitas mensurat vocem et secundum substantiam et secundum fieri; tempus autem absolute loquendo mensurat eius fieri tantum, scilicet mensurando motum cum quo et ex quo fit vox: propter hoc ergo diximus prius, tempus totum collectum ex particularibus temporibus, non absolvendo omne id quod vocis est esse discretam quantitatem. Boethius tamen aliter aliter exponit hoc quod dico, *dico autem orationem* (6, 4b34), dicens sic, quod quia “logon”, quod erat in graeco sermone loco huius nominis, “oratio”, fuit aequivocum ad rationem et orationem, necessario oportuit apponi, *cum voce prolatam* (6, 4b34-35), ad certificationem huius sermonis, et sic specificavit non inutiliter.

35 Sequitur quaerere de quantitibus continuis, et primo de linea: quoniam autem ars et natura et intellectus refu-

extensio in infinitum, nec est ei terminus a puncto, cum punctus non sit aliquid lineae; non erit linea aliquid secundum artem aut secundum naturam aut secundum intellectum.

5 Sed istud solvitur per hoc quod dupliciter possumus nominare lineam: aut secundum substantiam quae est materia, et sic est longitudo sola; vel secundum substantiam quae aliquid erat esse, et sic est longitudo terminata; sic autem est species alicuius generis, alio modo non.

Dubitatur postea sic: quantitas erat ut esset mensura substantiae; quod ergo non est mensura substantiae secundum se, nec est habens esse ultimum quantitatis, et haec est linea; <P 50vb> non enim erat aliqua substantia cum dimensione una tantum quae est longitudo.

10 Sed istud solvitur per hoc quod in substantia quae est corpus, est triplex dimensio coniuncta secundum actum existendi; remanet tamen quaelibet ab alia divisa secundum essentiam et intellectum; et ita possibile est intelligere substantiam cum dimensione una non intelligendo cum dimensionibus duabus, et cum duabus non intelligendo cum tribus: et sic oportebit intelligere lineam mensuram substantiae secundum dimensionem unam, superficiem secundum duas, corpus secundum tres.

15 Postea, sequitur quaerere quid remanet lineae pro materia, et quid pro forma.

Quoniam autem linea non habet nisi partes copulatas ad terminum communem, aut erunt ei partes pro materia, et terminus communis pro forma vel e converso. Et scimus quod terminus communis non remanet ei pro materia, cum fit punctis; ex punctis autem non fit linea: terminus ergo remanet ei pro forma, et partes pro materia.

20 Sed hic consequitur dubitatio, quia non contingit intelligere aggregatum ex materia et forma sine forma; contingit autem intelligere lineam sine puncto, cum punctus sit privatio lineae: punctus ergo non remanet pro forma respectu ipsius.

25 Sed hoc solvitur per hoc quod linea secundum substantiam quae aliquid erat esse non intelligitur sine puncto sicut fuit longitudo terminata ad punctum; sed sic est punctus continuans partes lineae ad invicem dans speciem et nomen lineae, secundum quod dicit Aristoteles quod substantia horum ex his est, scilicet substantialis ratio: unde non est ei quod constituat et finiat intellectum sine puncto.

30 Postea quaeritur utrum linea fuerit continuorum vel non. Et dicit Aristoteles quod continuum est quando ex aliquibus est aptum natum fieri aliquid secundum contactum; ex partibus lineae non est aliquid natum fieri secundum contactum –non enim tangit pars lineae partem, cum solum sit contactus corporum– non ergo erit continuorum.

Sed istud solvitur per hoc quod dicit Aristoteles in primo *De generatione*, quod mathematicis similiter dandum est tactum et locum, hoc autem secundum intellectum et secundum metaphoram. Et de hoc erit sermo postea.

Sequitur quaerere utrum possit linea fieri ex punctis vel non. Si autem fieret ex punctis, aut con-
tingeret punctus punctum, aut non, et si non contingeret esset distantia aliqua et medium inter pun-
ctos: nihil ergo continuum. Si autem contingeret, aut hoc esset secundum partem aut secundum to-
tum. Si secundum totum, <M 22ra> tunc totum remaneret punctum; si secundum partem, punctus
5 ergo partes habet: sed hoc est inconueniens, relinquitur ergo ex punctis non fieri lineam.

Sed tunc quaeritur propter quid fit numerus ex unitatibus, et non linea ex punctis, cum similiter
se habeat punctus ad lineam sicut unitas ad numerum.

Et causa huius est quia linea est continuum, numerus vero discretum; continuum autem non fit
nisi ex rebus se contingentibus; non potest autem indivisibile contingi ab indivisibili: et ideo ex in-
10 divisibilibus non fit continuum. Ea autem ex quibus fit discretum non contingunt se. Sed remanet
per se unumquodque ens non contingens alicui, et sic possunt se habere indivisibilia.

Et sequitur de superficie, utrum sit superficies ex lineis vel non. Et quia superficies constituitur
ex longitudine et latitudine; longitudo autem erit a substantia lineae: remanebit linea materialis re-
spectu superficiei, et superficies respectu corporis. Et hoc est quod tangit Aristoteles in principio
15 *Caeli et mundi*, dicens quod possibilis est permutatio lineae in superficiem, et superficiei in corpus.

Sed contra hoc est quod similiter se habet linea ad superficiem sicut punctus ad lineam; sed non
est linea ex punctis: ergo nec superficies ex lineis, nec etiam corpus ex superficiebus.

Amplius, ex duobus essentiae similis non fit essentia nova; linea lineae est essentiae similis, et
superficies superficiei: ergo nec superficies ex lineis, nec corpus ex superficiebus.

20 Istud totum solvitur per hoc quod linea, ut est dimensio quaedam, remanet materialis respectu su-
perficiei; ut autem est terminus, non est materialis.

Et praeter hoc: loquendo mathematice fit superficies ex lineis, scilicet ex ductu lineae in lineam;
similiter quidem est de superficie respectu corporis .

Sequitur postea quaerere utrum linea, superficies et corpus simul reperiantur in subiecto uno vel
25 non. Et quia omne accidens quod est in subiecto non secundum partem denominat subiectum, de-
nominabitur subiectum aliquod si reperiantur simul in eodem, simul a linea, superficie et corpore.
Quoniam autem linea est longitudo sine latitudine, denominabitur ab ipsa subiectum longum, <P
51ra> et non latum, et sic a superficie longum, latum, et non profundum, et a corpore longum, la-
tum et profundum. Et hoc non est inconueniens, quia non secundum idem verificatur affirmatio et
30 negatio super idem: secundum enim unam partem est longum et non latum; secundum aliam autem
est longum et latum et non profundum; secundum tertiam, longum, latum, profundum.

Vel dicendum quod non sunt possibilis inesse simul secundum rationes ultimas sed secundum
primas; possibile est enim simul inesse positiones vel habitus sed non privationes.

Quaerunt autem aliqui propter quid non est aliqua latitudo sine longitudine et profunditas sine
35 longitudine et latitudine sicut accidit e converso.

Et hoc est quaerere propter quid posterius non est sine priori sicut econverso, tetragonum sine trigono, sensitiva sine <M 22rb> vegetativa, et omnino duo sine uno.

Postea remanet quaerere propter quid ultra dimensiones tres non est dimensio alia.

Et est ratio Aristotilis in principio *Caeli et mundi* quod in ternario consistit omnis completio:
5 quia ergo dimensio omnis terminatur in ternario, patet completio.

Vel aliter: substantia non indigebat mensurari nisi secundum distantias repertas in ea, et sunt tres; est enim una secundum sursum et deorsum, et secundum hanc est ei mensura a linea; alia secundum dextrum et sinistrum, et secundum hanc est ei mensura a superficie; tertia secundum ante et retro, et secundum hanc est ei mensura a corpore. Patet ergo completio.

10 Differt autem corpus quantitas a corpore substantia, quia corpus substantia denominat potentiam recipiendi trinam dimensionem, corpus quantitas est ipsa trina dimensio.

Sequitur quaerere utrum quantitas habeat causam ex parte materiae vel formae vel substantiae compositae. Et quia forma est impartibilis de se, quantitas autem est de se partibilis, non debetur quantitas formae.

15 Et praeter hoc: circumscripta forma a materia, adhuc remanet materia divisibilis secundum se, habens partem et partem; non autem est divisibile nisi quod est quantum –substantia enim sine quantitate est omnino indivisibilis, ut punctus – substantia ergo materiae de necessitate est cum quantitate.

Contra hoc est quod non est possibile aliquid esse substantiam in potencia et quantum in actu;
20 materia autem est substantia in potentia solum; non ergo actu quanta.

Et praeter hoc: omne recipiens est denudatum a forma recepti; materia autem est receptibilis quantitatis secundum omnes sui differentias: remanebit ergo materia denudata ab omni quantitate.

Sed totum istud solvitur per hoc quod substantia quantitatis est a materia; terminus autem et ratio a forma. Et hoc intelligitur per hoc quod materiae secundum omnes suas partes est extensio
25 possibilis in infinitum et disgregatio.

Et praeter hoc: congregatio et contractio, secundum quod dicit Aristoteles quod eadem est materia magni et parvi; forma autem adveniens materiae determinat eam in extensione et contractione et disgregatione, secundum quod dicit Aristoteles quod forma continet materiam, dando scilicet partibus materiae positionem et situm ne sese egrediantur secundum contractionem et extensionem, secundum quod habetur in secundo *De anima* quod omnium natura constantium terminus est et ratio
30 magnitudinis et augmenti, et subiungit quod haec magis rationis sunt quam materiae.

Sequitur de tempore, et dubitatur qualiter remanet pars alicuius generis, cum quodlibet genus sit pars entis et unius simpliciter; tempus autem non est ens simpliciter.

Et istud accipitur ex hoc quod nullius habentis esse, quaelibet pars est non ens; temporis autem
35 quaelibet pars est non ens: quare tempus non erit habens esse.

Et dicitur quod praesens vel nunc est pars temporis, et hoc est esse habens. <M 22va>

Sed contra hoc est quod partes continui non copulantur ad partem continui, ut partes lineae non copulantur ad partem lineae sed ad punctum; partes autem temporis copulantur ad nunc: ergo nunc non erit pars temporis.

5 Amplius, omne continuum est divisibile in ea ex quibus est; tempus autem non est divisibile in nunc: ergo nunc non est id ex quo tempus est.

Amplius, quaelibet pars continui continuatur cum alia parte; nunc non continuatur cum nunc vel cum aliquo alio: ergo nunc non est pars temporis. Minor patet sic: continua sunt <P 51rb> quorum ultima sunt eadem; omne ergo quod continuatur cum alio ultimum habet; omnino autem tale est di-
10 visibile; nunc ergo, cum sit indivisibile, ultimum non habebit, cum nullo ergo continuabitur.

Et praeter hoc: posito quod nunc sit pars temporis non propter hoc habebit tempus esse actu, cum nunc non sit actu in tempore sed tantum potentia, ut ostenditur in capitulo de tempore.

Dicimus ergo quod actus totius non dependet ab actu partium sed a coniunctione earum; coni-
15 unctio autem partium temporis est ordinatio earum antecedentium et subsequentium: ab ordinatione igitur suarum partium habet tempus esse. Et est hoc esse debile; successiva enim solum sunt in suo fieri et non in factum esse. Quod igitur habeat esse patet, cum sit motus aliquid divisibile vel mensura vel mensuram habens. Sed si esset mensura, aut esset mensura mobilis, aut magnitudinis; et hoc non potest esse, cum utraque secundum substantiam est permanens, motus autem est successi-
20 vum, et successivum non est mensura permanentis secundum quod permanens est: erit ergo mensuram habens, et non mensuratur a mobili vel a magnitudine, per hoc quod iam diximus.

Et praeter hoc : si mensuratur ab aliquo aliorum, magis esset ei mensura a magnitudine quam a mobili, cum motus sit continuus; quia autem magnitudo a magnitudine non potest mensurari, quia contingit magnitudines esse aequales super quas est motus, motus autem inaequales, oportebit ergo aliquid praeter motum in magnitudine esse mensuram motus et esse continuum: non est autem assi-
25 gnare nisi tempus: erit igitur tempus quatenus sit mensura motus secundum prius et posterius.

Sequitur quaerere qualiter sit continua quantitas, cum sit numerus motus.

Et dicendum quod non sequitur, est numerus motus, ergo numerus, nisi dicatur “numerus” qui numeratur, sic enim ostendit Aristoteles quod tempus est numerus: numeratur enim a numero nume-
rante, et sic numeratum numerat, motum; numerus autem sic dictum non est discreta quantitas.

30 Sequitur postea de hoc quod dicit quod praesens copulatur ad praeteritum et ad futurum. In aliis enim ita erat quod ea quae copulantur remanet partes continui; <M 22va> illud autem ad quod remanet non est pars. Si ergo praesens copulatur ad praeteritum et ad futurum, remanebit praesens pars temporis, praeteritum vero et futurum non partes, et nunc accidit econverso.

Et praeter hoc: in aliis, illud ad quod copulantur partes continui erat unum; praeteritum et futu-
35 rum non sunt unum; ergo non sunt ad quae copulantur particulae temporis. Propter hoc ergo dicunt

quidam quod habet fieri hypallage in hoc sermone, *praesens copulatur ad praeteritum et futurum*.
(6, 5a7-8)

Potest etiam dici quod dupliciter potest dici “praesens”, scilicet divisibile et indivisibile; divisibile quidem copulatur ad praesens et futurum ens eiusdem rationis cum illis secundum naturam temporis.

Et est simile sicut diceremus lineam copulari ad lineam sibi proximam; praesens autem indivisibile non copulatur ad praeteritum et ad futurum, sed e converso sicut linea ad punctum. Sicut ergo linea potest copulari ad aliquid sui generis, scilicet ad lineam sibi proximam, alio modo ad illud quod non est sui generis, scilicet ad punctum, eodem modo accidit in tempore: uno modo copulatur praesens ad praeteritum et ad futurum, alio modo e converso. Appropriatur autem iste modus temporis magis quam alii, quia partes temporis non habent rationem unam, partes autem aliorum habent.

Sequitur de loco, et quia locus dicitur esse terminus ultimus continentis immobilis; terminus autem ultimus est superficies: non videbitur locus differre a superficie.

Et praeter hoc quaeritur qualiter particulae loci copulantur ad unum terminum ad quem particulae corporis; quaeritur etiam aut ad eundem terminum ad quem copulantur particulae corporis continentis, aut corporis contenti. Et non continentis, quia particulae corporis continentis copulantur ad superficiem ipsius; locus autem non differt in substantia a superficie corporis continentis; nec iterum contenti, quia continens non est terminatum a contento sed e converso. Locus autem est continens corpus contentum cum sua superficie: locus ergo secundum sui partes non terminabitur ad superficiem corporis contenti, et ad istam copulantur partes corporis contenti.

Totum autem istud solvitur per <P 51va> hoc quod locus est mensura extra sumpta ipsius corporis; superficies est mensura eiusdem intra sumpta: et cum sit idem in substantia locus et superficies, est tamen superficies respectu continentis, locus respectu contenti. Addit ergo locus super superficiem rationem continentiae, et hoc dat speciem et formam loco. Est ergo locus mensura continua habens positionem, cuius partes copulantur ad terminum infra suum ambitum, et est superficies corporis contenti. Et hoc est quod dicitur quod ad terminum eundem copulantur particulae corporis et locis, sed differenter: illud enim quod est terminus exterior corporis contenti est terminus interior corporis continentis, et sic loci. Sicut enim locus est mensura extra sumpta, superficies mensura intra sumpta, sic accidit e converso quod superficies quae est terminus exterior contenti est terminus intra sumptus continentis.

Plura quidem sunt dubitabilia de loco et tempore sed sunt alterius negotii. Ordinatur <M 23ra> autem in *Physicis* locus ante tempus, quia physicus non considerat tempus nisi secundum quod est numerus motus proprie, et primus motuum est qui est secundum locum. In *Logicis* autem e converso, quia logicus non considerat tempus secundum hanc rationem, nec dicit esse in tempore solum quae motu participant sed etiam ea quae habent principia sui esse aliquo modo in tempore, et haec

sunt quaedam quae non habent proprie locum. Universalior ergo erit consideratio logici de tempore quam de loco, et ideo prior apud ipsum.

5 Sequitur de quantitate quantum ad has differentias, habere positionem et non habere positionem in partibus. Ex praehabitis autem patet qualiter positio sit genus quoddam et qualiter sit differentia quantitatis.

10 Et dicimus ergo quod habere positionem dicitur hic habere ordinationem partium intraneorum absolute, et ad positionem exiguntur tria, scilicet situs, permanentia, idest ut non pereant, et ordo, idest ut sese partes contineant. Unde, si deficiat ab aliquo istorum trium, deficit a positione secundum quod hic sumitur “positio”, sicut patet in numero et oratione et tempore; quia enim numerus deficit a situ, ideo non habet positionem, licet habeat permanentiam et ordinem aliquo modo; quia etiam oratio deficit a situ et permanentia, ideo non habet positionem, licet habeat ordinem; quia etiam tempus deficit ab his duobus, ideo non habet positionem, licet habeat ordinem. Dicimus ergo quod sequitur, si non habeat permanentiam, non habet situm, et non convertitur; et non sequitur, si habeat permanentiam, quod situm, sed convertitur. Sic ergo potest patere pertractanti quae habent positionem et quae non.

15 Sed dubitatur, quia positio inest illis quibus et locus inest, et non aliis; partes autem lineae et superficiei non habent locum, quia solum corpus est in loco: non igitur positionem.

Amplius, prius et posterius sunt differentiae ordinabilis; prius autem et posterius non reperiuntur in partibus lineae secundum differentiam; igitur nec ordinatio, igitur nec positio.

20 Primus solvitur per hoc quod dicit Aristoteles in primo *De generatione* quod mathematicis dandus est similiter tactus, locus et positio. Hic autem secundum metaphoram et proportionem; sicut enim in naturalibus est aliquid continens et sistens fluxum mobilis, sic metaphorice loquendo est aliquid in linea sistens et continens, prohibens ne partes sese egrediantur, et ob hoc dicitur locus propter rationem continendi; similiter autem est in superficiei.

25 Postea quaesitum solvitur per hoc quod differentia prioris et posterioris non aufert naturam ordinationis; est autem differentia prioris et posterioris in partibus lineae secundum significationem differentem.

Sed dubitatur adhuc de loco, quia si partes eius habent situm, et locum; est enim situm esse in loco esse, ut videtur: igitur erit loci locus, et sic in infinitum.

30 Et dicendum quod partes loci sitae sunt alicubi, non tamen in loco sed, ut dicitur in fine capituli de loco, sicut terminus in terminato, et sic est assignare ubi sita est haec pars loci iuxta hanc particulam corporis et econverso, et sic habet locus situm; non tamen habet locus locum: habet igitur positionem.

35 Quia autem aliud est quantitas et quantitatis esse, ut in tertio *De anima*, penes quantitatis esse datur haec divisio quantitatum, *alia quidem constat ex partibus habentibus positiones*, etc. (6,

4b21-22); penes naturam quantitatis in se, ut penes substantiam sui, haec, *aliud continuum, aliud discretum*. (6, 4b20) Patet autem primae divisionis sufficientia, cum sit per immediate opposita; de altera divisione dictum est prius.

5 Sequitur quaerere de quantitibus per accidens: quoniam autem natura et ars et intellectus refutant infinitum; quae autem dicuntur secundum accidens vadunt in infinitum; non stabit intentio scientiae vel artis supra <P 51vb> ea quae dicuntur secundum accidens. <M 23rb>

Sed istud solvitur per hoc quod non intendit de quantitibus per accidens nisi secundum quod reducantur ad quantitates per se, et istam reductionem significet quando dicit, *ad haec aspicientes*. (6, 5a39-5b1)

10 Sequitur postea quaerere si per se et per accidens accidant in substantiis, et quia sic se habet accidens substantiae ad substantiam sicut accidens quantitatis ad quantitatem. Istud autem quod accidit quantitati dicitur “quantitas per accidens”, quia illud cui accidit est quantitas per se; dicitur similiter illud quod accidit substantiae “substantia per accidens”, quia illud cui accidit est substantia per se.

15 Et solvitur per hoc quod illud quod dicitur “quantitas per accidens” non recipit intentionem quantitatis secundum formam univocationis sed secundum formam denominationis; substantia autem nulli dat nomen suum secundum formam denominationis sed per formam univocationis, et ideo non est alicui conveniens intentio substantiae per accidens.

20 Sequitur postea utrum substantia possit dici “quantitas per accidens”. Et quia quantitas per accidens recipit intentionem quantitatis secundum denominationem; substantia autem sic se habet: cum dicatur “quanta”, apparet quod posset dici “quantitas per accidens”.

Sed solvitur per hoc quod illud potest dici quantitas per accidens cuius subiectum est quantitas per se; nihil autem est subiectum substantiae, cum substantia per se et primo sit ens: et propter hoc non dicitur “quantitas per accidens”.

25 Intellige etiam quod non dicitur “qualitas per se” et “per accidens”, et similiter de caeteris, et hoc est quia quantitas immediate advenit substantiae materiae et intrinsecus, et fundantur super hanc aliae formae, quae quidem sunt habentes situm in quantitate: unde extensionem sumunt a quantitate, et sic dicuntur “quantitates per accidens”.

30 Quaeritur consequenter quare in *V^o Metaphysicae* ponitur tempus quantitas intentione secunda, hic autem intentione prima.

Et solvitur per hoc quod respicit ibi tempus secundum quod est aliquid secundum naturam, et sic est ei comparatio essentialis ad motum et ad magnitudinem. In comparatione enim ad motum est ei continuitas; tempus enim est continuum quia motus, et motus quia magnitudo: et ideo ponitur tempus in genere quantitatis continuae intentione secunda. Hic autem non respicit tempus ut refera-

tur ad motum, et ideo ex hac parte non damus ei continuitatem ab aliquo sed a seipso, et ponitur in genere quantitatis continuæ intentione prima.

Intellige etiam hic quod mathematicus non ponit aliam speciem quantitatis locum a corpore, quia profundando intellectum, videt quod non est alia et alia distantia corporis et loci, cum primum
5 in loco correspondeat primo in corpore, medium medio, ultimum ultimo; logicus autem non sic profundat intellectum, et credit aliam et aliam esse distantiam, et ideo ponit aliam et aliam speciem.

Sed adhuc quaeritur quare in *V^o Metaphysicae* ponitur motus esse in genere quantitatis, hic autem non.

Et solvitur per hoc quod motus manet in genere quantitatis ut respicitur quantitas secundum sui
10 substantiam; est enim continuitas secundum rationem quae ad aliquid erat esse. Prout autem respicitur quantitas ut esset substantiae mensura, <M 23va> motus autem non est substantiae mensura sed mensuram habens: non erit ergo de genere quantitatis. Quia ergo in parte ista est sermo de illis quae respiciunt rationem ultimam quantitatis, secundum quod exponit Commentator super quintum, non erit motus ponendus in parte ista in genere quantitatis.

15 Satis intellige quod planities verius ostendit faciem rei quam concavitas vel convexitas: cum ergo superficies sit superior facies, bene significatur per “planum”.

Et alia ratione causa: in convexo quam concavo est aliquid sub et aliquid supra; unde non merentur totaliter dici superficies. Et haec quantum ad substantialia quantitatis sufficiant.

LECTIO 9

Amplius quantitati nihil est contrarium. (6, 5b11) Haec est pars de proprietatibus et passionibus ipsa ordinabilia in genere quantitatis consequentibus, sive pars quae manifestat quantitatem penes sua accidentalibus, et dividitur in duas: in prima dat proprietates quae insunt quantitati et aliis; in
5 secunda, ut ibi: *Proprium autem quantitatis*, etc. (6, 6a19), dat proprietatem quae sic inest quantitati ita quod nulli alii. Nec est pluribus modis dare proprietates nisi aut quae insunt soli aut non soli: patet ergo sufficientia et ordo per hoc quod <P 52ra> innata est nobis, etc.

Prima autem harum adhuc in duas penes duas proprietates: in prima dat istam, non habere contrarium; in secunda, ut ibi: *Sed non videtur quantitas*, etc. (6, 6a19), istam, non suscipere magis et
10 minus; de quarum sufficientia et ordine patebit patet ex praehabitis.

Prima autem harum in duas: in prima demonstrat; in secunda, ut ibi: *nisi quis* (6, 5b14), instat. Et magis sufficienter determinat per utramque quam per alteram; et ordo liquet cuilibet.

In prima autem harum partium unicam intendit conclusionem, quam primo proponit, et secundo ostendit: proponit cum dicit, *Amplius* (6, 5b11); ostendit cum dicit, *in hiis enim* (6, 5b11), et est
15 ostensio inductiva et per se manifesta.

In secunda autem istarum, cum instat, ponit duas instantias, et penes hoc dividatur in duas: in prima ponit primam; in secunda cum dicit, *Maxime autem* (6, 6a11), ponit secundam. Et sufficiunt, quia maxime circa haec videtur quantitatis contrarietas; et ordinantur penes facilius et difficilius: quae enim est facilior ad dissolvendum, illa est prior.

Prima autem harum in duas: in prima ponit instantiam; in secunda, ut ibi: *Horum autem nihil* (6, 5b15-16), destruit. Nec sufficeret prima sine secunda: et patet ordo.

Prima autem harum non dividitur; instat autem in multo et paucis, magno et parvo. Sed secunda dividitur in duas: in prima destruit has instantias, quia non sunt quantitates; in secunda, ut ibi: *Amplius*, sive aliquis (6, 5b30), quia non sunt contraria. Nec est pluribus modis eas destruere; et patet
25 intuenti quod recte ordinantur partes.

In prima igitur harum unicam ostendit conclusionem, scilicet quod non sunt quantitates sed ad aliud, quam primo proponit, secundo ostendit: proponit cum dicit, *Horum autem* (6, 5b15); ostendit cum dicit, *nihil enim*, etc. (6, 5b16) Et ostendit duabus rationibus, et incipit secunda ibi: *Amplius bicubitum* (6, 5b26); et secundum hoc dividatur, si placet; nec fiat vis de sufficientia et ordine.
30

Prima igitur demonstratio talis est: omne quod secundum se et non secundum accidens ad aliud refertur et non secundum se dicitur, est ad aliquid; magnum et parvum sunt huiusmodi: ergo, etc. Et similiter intendit de multo et paucis, ergo sunt ad aliquid: et est conclusio ulterior, ergo non sunt quantitates. Huius solum ponit <M 23vb> minorem cum dicit, *nihil enim per se* (6, 5b16-17); et
35 ostendit cum dicit, *nam mons*, etc. (6, 5b18), sic: numquam diceretur mons parvus, milium vero

magnum, cum sit mons centuplum maior milio, nisi magnum et parvum referentur ad aliquid et non secundum se dicerentur, sed dicitur mons parvus et milium magnum, ergo referuntur ad aliud et non secundum se dicuntur. In hac vero sic procedit: primo ponit minorem, secundo conclusionem, tertio maiorem, ut patet ex littera; quarto, ut ibi: *Rursus*, etc. (6, 5b23), intendit illud de multo et pauc
5 quod de magno et parvo. Et terminatur prima demonstratio.

Secunda, quae ad idem, talis est: quae spectant ad aliud sunt ad aliquid; magnum et parvum sunt huiusmodi; ergo sunt ad aliquid. Primo proponit conclusionem quam intendit cum dicit, *Amplius bicubitum* (6, 5b26), secundo minorem cum dicit, *quoniam ad aliud* (6, 5b28), repetendo conclusio-
10 nem cum dicit, *quare*, etc. (6, 5b29) Et potest dici quod haec secunda ratio sumitur a differentia quantitatum determinatarum. Boethius tamen non reputat duo argumenta, sed hoc totum compre-
hendit sub uno. Et sic terminatur pars quae ostendit quod magnum, parvum, multum et paucum non sunt quantitates.

Et sequitur pars quae ostendit quod non sunt contraria, et istam solam intendit conclusionem, quam primo proponit cum dicit, *Amplius*, etc. (6, 5b30), secundo ostendit cum dicit, *quod enim*
15 *non potest*, etc. (6, 5b31); et cum ostendit, primo ostendit ostensive, secundo, ut ibi: *Amplius autem si essent* (6, 5b33), per argumentum per impossibile. Nec est pluribus modis ostendere; et secundum hoc dividatur, si placet; et patet sufficientia, et recte ordinatur.

Pars autem in qua ostendit ostensive unicam continet rationem, scilicet istam: nihil quod essentialiter refertur ad aliud habet contrarium; magnum et parvum se habent isto modo, et similiter in-
20 tendit de multo et pauc; igitur non habent contrarium. Huius solum dat maiorem et hoc sub modo interrogationis cum dicit, *quod enim non potest*. (6, 5b31)

Consequenter ostendit per impossibile: primo proponit impossibilia; secundo, ut ibi: *Contingit enim* (6, 5b35), dat modum deducendi ab ea. Et secundum hoc potest dividi in duas, et non suffice-
25 ret prima sine secunda, et recte ordinantur. Sunt ergo duo impossibilia quae proponit in parte ista supposita hypothese, scilicet hanc, magnum, parvum esse contraria: quarum primum est actu esse contraria simul circa idem; secundum est aliquid sibi esse contrarium. Et secundum hoc potest di-
vidi; nec est vis in hoc.

Cum ergo dat <P 52rb> modum deducendi ab ipsa, primo dat modum deducendi ad primum, secundo, ut ibi: *Et eadem sibi ipsis* (6, 6a4-5), dat modum deducendi ad secundum. Et secundum
30 hoc potest dividi in duas; nec sufficeret prima sine secunda; et patet ordo.

Ad primum ergo sic deducit: si magnum, parvum sint contraria, et idem sit magnum et parvum in eodem tempore, contingit idem actu habere simul contraria in se: sed hoc est impossibile; non ergo magnum et parvum erunt contraria. In hac ergo sic procedit: supposita hypothese et coassumpta quadam propositione vera et eadem ostensa, ut patet plane in littera, infert impossibile; secundo, ut
35 ibi: *sed nihil est*, etc. (6, 5b39), ostendit illatum esse impossibile. Primo ergo dicit hoc esse impos-

sibile; secundo ostendit cum dicit, *ut substantia*, etc. (6, 6a1) Et est ratio talis: substantia de qua maxime videtur non potest habere actu simul contraria in se, ergo multo fortius nec aliquid aliud. Et huius primo dat maiorem cum sua declaratione exemplari cum dicit, *ut substantia*, etc. (6, 6a1), secundo conclusionem cum dicit, *nihil ergo suscipit simul contraria* (6, 6a3-4), et sic deducit ad
5 primum impossibile.

Ad secundum vero sic: si magnum, parvum sunt contraria, et idem est magnum et parvum, ergo idem sibi ipsi est contrarium; sed hoc est impossibile; ergo non sunt contraria. In hac sic procedit: proposita hypothesi et coassumpta quadam propositione vera praeostensa, infert impossibile quod primo proponit cum dicit, *Et eadem*, etc. (6, 6a4-5) -- hoc totum planum est in littera -- deinde,
10 ut ibi: *sed impossibile*, etc. (6, 6a7), dicit illatum esse impossibile, quod est manifestum unicuique, arguens ex hoc oppositum hypothesis cum dicit, *Non est ergo* (6, 6a8); inferens conclusionem principalem cum dicit, *quare*, etc. (6, 6a9) Et terminatur prima pars totalis quae dat <M 24ra> instantiam primam.

Et sequitur pars quae dat secundam, nec dividitur sicut pars quae praecessit quae posuit primam, scilicet, instantiam, quia non destruit istam, et super hoc erit quaestio postea. Primo ergo instat cum dicit, *Maxime*, etc. (6, 6a11); secundo instantiam manifestat cum dicit, *sursum enim*, etc. (6, 6a12) Instat ergo cum dicit quod contrarietas apparet esse in quantitate, quia in loco; instantiam ergo manifestat per auctoritatem antiquorum et ratiocinationem quod contrarietas sit in loco. Per auctoritatem ergo sic: antiqui ponunt locum sursum et locum deorsum contraria esse, dicentes locum deorsum locum medium, scilicet locum terrae, cum multa sit horum distantia: ergo contrarietas erit in loco. Huius solum dat maiorem cum dicit, *sursum enim*, etc. (6, 6a12), usque ibi: *Videtur autem* (6, 6a15-16), ubi dicit quod ipsi non dicunt hoc sine ratione; innuens tunc eorum ratiocinationem cum dicit, *quae enim*, etc. (6, 6a17) Et est talis: ipsi determinant contraria quae posita sunt sub eodem genere et multum sunt distantia, et innuit quod sic intendebant de loco sursum et de loco deorsum, quia erunt contraria, et sic contrarietas in loco, et sic in quantitate. Istud ergo non dissovit, et causam dicemus. Et terminatur totalis pars quae manifestat quantitatem penes hanc proprietatem, non habere contrarium.
20

Et sequitur pars quae manifestat ipsam penes proprietatem aliam, hanc scilicet, non suscipere magis et minus, et unicam solam intendit conclusionem, et est quod quantitas non suscipit magis et minus; quam primo proponit cum dicit, *Sed non videtur*, etc. (6, 6a19); secundo ostendit cum dicit, *ut bicubitum*, etc. (6, 6a20), et est ostensio inductiva in continuis et discretis, ut patet ex littera. Et terminatur totalis pars quae dat proprietates quae insunt quantitati et aliis.
30

Et sequitur pars quae dat proprie proprium quantitatis, et est quod proprie proprium est quantitatis ut secundum eam dicatur aequale vel inaequale. In parte ergo ista unicam solam intendit conclusionem: quam primo proponit cum dicit, *Proprium*, etc. (6, 6a26); secundo ostendit cum dicit, *ut*
35

corpus, etc. (6, 6a28) Conclusio ergo est ista: proprium est quantitatis secundum eam dici aequale vel inaequale. Quod ergo hoc sit proprium ostenditur sic, et proprie proprium et ideo dicit, *maxime* (6, 6a26): quidquid est omni et soli est proprie proprium -- intendit enim quod semper secundum aptitudinem -- secundum eam dici aequale vel inaequale convenit omni quantitati et soli; ergo erit
5 proprie proprium. Maior patet ex Porphyrio. Minorem ostendit: et primo quod omni, inductive; secundo, ut ibi: *In caeteris vero*, etc. (6, 6a30-31), quod soli et semper, inductive; et tunc concludit cum dicit, *Quare*, etc. (6, 6a34) Et terminatur haec totalis pars de quantitate, et patet sufficientia et ratio et ordo partium et continentia.

Primum dubitabile: quoniam sic se habet esse in subiecto ad accidentia sicut non esse in subiec-
10 to ad substantias, quaeratur propter quid non declaratur esse in subiecto de quantitate tamquam passio vel proprietas sicut non esse in subiecto de substantia .

Et solvitur per hoc quod esse in subiecto <P 52va> est contra modum quantitatis ut est genus primum, et similiter est de aliis; omnino enim accidens ut est in genere non habet essentialem comparisonem ad subiectum.

15 Sed quaeritur adhuc quare non declaratur aliqua passio de quantitate ut est praedicabilis sicut de substantia prius.

Et solvitur per hoc quod omnino modi praedicandi in genere substantiae conveniunt in genere quantitatis et in aliis generibus, verbi gratia, genera et differentias praedicari secundum univocationem, <M 24rb> et haec omnia de individuis.

20 Quaeritur consequenter si quantitati sit aliquid contrarium. Quoniam autem omnis motus est a contrario in contrarium, et est motus a quantitate in quantitatem, erit ergo quantitas quantitati contraria.

Et solvitur per hoc quod non est motus in essentia quantitatis, quia non a quantitate in quantitatem quia quantitas, sed propter perfectum et imperfectum respectu quantitatis, et est in his contrarietas; nec relinquitur contrarietas ex parte substantiae eorum a quo et in quem est motus, sed sufficit contrarietas secundum rationem. Et super hoc erit sermo inferius.

Sed adhuc, quia contraria sunt quae nata sunt fieri circa idem secundum interationem, et sic se habent magnum et parvum respectu materiae, secundum quod dicit Aristoteles, eadem est materia magni et parvi, accidit magnum et parvum se habere secundum contrarietatem, et sic magnitudinem
30 et parvitatem, et sic, ut prius, aliquid quantitati erit contrarium.

Et solvitur per hoc quod contrarietas quae secundum materiam est non quaeritur in parte ista, sed quae est circa subiectum constitutum in esse, ut supra notavimus, et quia magnitudo et parvitas determinantur in materia a formis perficientibus ipsam, secundum quod dicit Aristoteles in secundo *De anima* quod haec rationis sunt magis quam materiae, non erit contrarietas ex parte magni et par-
35 vi nisi secundum contrarietatem formarum quae primo perficiunt materiam.

Sed adhuc dubitatur, quia quod corrumpitur a contrario corrumpitur, et quantitas corrumpitur, igitur a contrario.

Sed solvitur per hoc quod non corrumpitur substantia quanta nisi quia qualis; tota ergo corruptio debetur ipsis qualitatibus activis et passivis: huiusmodi autem sunt contraria.

5 Sequitur dubitatio super hoc quod dicit quod magnum et parvum non sunt quantitates sed ad aliquid. Aristoteles enim in *V^o Metaphysicae* dividit quantitatem in multitudinem et magnitudinem, et divisum praedicatur de dividendibus, igitur magnitudo erit quantitas; ergo magnum, cum idem sit magnum quod magnitudo nisi quod magnum dicit magnitudinem in relatione ad materiam; sed diversitas in materia non facit diversitatem in specie.

10 Sed istud solvitur per hoc quod est considerare magnum dupliciter: est enim magnum secundum se consideratum idem quod magnitudinem habens, et sic est vere dicere quod parvum est magnum, quia est magnitudinem habens, et nulla est diversitas inter parvum et magnum hoc modo, et sic magnum quantitas est, et sic dividit Aristoteles quantitatem in multitudinem et magnitudinem; magnum autem non secundum se consideratum sed in comparatione ad aliud, ut ad parvum, secundum
15 quod non est dicere quod magnum est parvum, sed est impossibilis talis praedicatio, sic est ad aliquid et non quantitas, et sic intendit hic de magno et parvo.

Sed iam dubitatur: cum ratio maxime universalis eorum quae dicuntur ad aliquid est secundum dictionem se habere ad aliud; et sic non se habet magnum respectu parvi; non ergo ponemus magnum <M 24va> et parvum in genere relationis.

20 Sed solvitur per hoc quod relatio quam determinat magnum est relatio secundum veritatem non secundum modum, sicut accidit econverso quedam dici ad aliquid secundum modum et non secundum veritatem.

Sed dubitatur adhuc de hoc quod dicit quod magnum et parvum non contrariari si ponantur in genere relationis, sic significans quod contrarietas non sit in relatione, cuius tamen contrarium
25 intenditur in capitulo de relatione.

Et dicendum quod non; solum enim est contrarietas possibilis in his quae dicuntur ad aliquid secundum modum et sunt alterius generis secundum veritatem. In his autem quae dicuntur ad aliquid secundum veritatem non est contrarietas, et hoc intendit in capitulo de relatione.

Sequitur disputare de argumento tali quod facit: hoc est magnum ad hoc, non est magnum ad illud; ergo est magnum et non magnum. Hic enim videtur incidere locus sophisticus secundum ignorantiam elenchi sicut hic “Hoc est duplum <P 52vb> ad hoc, et non est duplum ad illud; ergo est duplum et non duplum”, vel secundum quid et simpliciter sicut hic, “Est leve ad hoc, ergo est leve; non est leve ad hoc, ergo non est leve.”

Ad istud ergo dicunt quod nulla determinatio adiuncta cum nomine relativo significans id ad
35 quod dicitur potest esse determinatio extrahens, verbi gratia, “pater filii”, “duplum dimidii”, et si-

militer de aliis; et similiter accidit hic. Unde haec argumentatio est necessaria, “magnum in comparatione ad parvum, ergo magnum”, ut “pater filii, ergo pater”, similiter “parvum in comparatione ad magnum, ergo parvum”; semper enim considerantur comparando unum ad aliud.

5 Nec est omnino simile de gravi et levi, magno et parvo, quia grave et leve determinant dispositiones absolutas magis quam magnum et parvum, nec incidit hic locus sophisticus secundum ignorantiam elenchi, nec concluditur “ergo est magnum et non est”, immo “ergo est magnum et non magnum”, idest parvum. Et non negatur tunc comparatio, et priori modo est considerare conclusionem ad contradictionem, nec esset ibi contradictio nisi apparens, immo locus sophisticus primo modo
10 secundum ignorantiam elenchi; sed non est hic sic intentio, immo intendit hic concludere quod idem est magnum et parvum, et ex hypothesi contraria esse actu circa idem simul.

Sed dubitatur adhuc qualiter verificatur hoc quod dicit, *sive aliquis ponat haec esse quantitates sive non, nihil erit eis contrarium* (6, 5b30-31); quia si sint quantitates, non tenebit hoc argumentum, “magnum ad hoc, ergo magnum”; deficiet ergo ab hac propositione, “Idem est parvum et magnum, etc.”, super quam fundatur tota ratio; haec enim erat assumpta cum hypothesi ad concludendum impossibile.
15

Ad hoc dicendum quod sive sint quantitates, sive non, non sunt contraria. Hoc tamen non est manifestum per hanc argumentationem. Secundum autem quod sunt quantitates, patet quod non sunt contraria; sic enim, ut diximus, idem est parvum et magnum, quia magnitudinem habens. Et quia sic loquitur mathematicus de magno et parvo, ideo non est hic sermo super hoc, sed solum
20 prout logicus intendit de his.

Sequitur quaerere si contrarietas quantitatis sit circa locum. Et apparet hoc hac ratione antiquorum qua re <M 24vb> ponitur in littera. De argumento quaeritur quare non solvitur in littera ab Aristotele et quomodo habet solvi.

Et apparet hoc etiam alia ratione sic: omnis motus est a contrario in contrarium; et est motus a
25 loci in locum; ergo loco locus et contrarius; et sic quantitati aliquid erit contrarium.

Ad istud igitur notandum quod quantitati nihil est contrarium, et ultimum argumentum solvitur per intellectum huius, “omnis motus a contrario in contrarium”; non enim requiritur contrarietas ex parte substantiae eorum a quo et in quem est motus, sed sufficit contrarietas quae est secundum rationem, in quantum scilicet termini sunt unus a quo inchoat motus, reliquus ad quem terminatur motus: talis autem contrarietas non negatur esse in loco secundum sui differentias quae sunt sursum et
30 deorsum.

Ad rationem autem philosophorum quae ponitur in littera diversi diversimode dicunt. Quidam enim solvunt per divisionem huius verbi, “distantia”: ut ibi sumitur in definitione contrariorum copulat distantiam essentialem; sursum vero et deorsum distantiam localem, vel distant distantia locali; et ita aequivocatur “distantia”; unde est paralogismus ibi aequivocationis. Et illud assignant pro
35

causa quare non solvit, tum quia satis patet aequivocatio haec cuilibet eam intelligenti, tum quia si distingueret hic veram distantiam, simul esset metaphysicus, physicus et logicus; quod patet per praedicta, cum “distantia” secundum tres acceptiones sit de consideratione istorum trium philosophorum; quod sibi videbatur inconueniens, cum logicus sit maxime artificialis.

5 Vel potest solvi ratio eorum aliter, per hoc scilicet quod ipsi male colligunt definitionem contrariorum, quia “multum distare” non est in definitione contrariorum sed “maxime”; non enim est distantia maxima medii ad extrema, sed extremi ad extremum, quia magis distant termini diametri caeli quam termini semidiametri; sed locus medius est terminus semidiametri, quia centrum; non ergo maxime distant locus medius et sursum, nec erit distantia essentialis nec localis; nec possunt igitur
10 glossare <P 53ra> le “multum”, id est “maxime”, quia sic minor est falsa. Hac ergo de causa possumus dicere quod non solvit Aristoteles, quia non videtur indigere solutione, quia male sumitur definitio: quantitati igitur nihil erit contrarium.

Sequitur quaerere si habeat magis et minus. Et quoniam in quocumque genere est maximum, in eodem est magis et minus, et in genere quantitatis est maxime, ergo magis et minus. Et minor patet
15 ex VII^o *Physicorum*, quia tunc circulus maxime est cum secundum naturam maxime est.

Sed istud solvitur per hoc quod magis et minus in circulo refertur ad fieri ipsius, et illud magis et minus reducitur ad maiorem accessum et recessum ab angulatione et maiorem accessum et minorem ad clausionem: nec est ergo illud magis et minus ex parte circuli, nec in substantia circuli.

Sed adhuc apparet quod in numero sit magis et minus; si enim multitudo sit de substantia numeri; ex parte autem multitudinis contingit esse magis et minus; igitur et ex parte ipsius numeri.
20

Et solvitur per hoc quod ex parte ipsius multitudinis non est magis et minus secundum intensiorem quantitatis sed secundum intensiorem qualitatis; non est enim multitudo magis multitudo sed maior, et sic numerus maior numero: suscipit ergo magis et minus extensive et non intensive.

Sequitur quaerere de proprie proprio quantitatis. Et est quaestio prima, quare non dat
25 25ra> passionem aliquam quantitatis ut est numero uno sicut prius substantiae.

Et solvitur per hoc quod accidit quantitati et cuilibet accidenti minori; non enim numeratur ita quod numeratur per aliquid suae essentiae sed per subiectum in quo est; substantiae autem est essentialis numerari, quia per naturam numeratur quae est aliquid suae essentiae: et ideo conueniens est proprietas substantiae ut sit numero una, sic autem non accidentis.

30 Sed quaeritur propter quid non dat passionem aliquam quantitatis respectu contrarietatis quae est circa ipsam quemadmodum de substantia prius.

Et solvitur per hoc quod quantitas numero una non est subiecta contrarietati, nec specie una – specie, dico, ultima. Et haec manifestum est de recto et curuo circa lineam et pari et impari circa numerum. Et ideo solum genere una contrarietati subicitur; substantia autem numero una erat
35 subiecta contrarietati: unde hoc remanet ut proprium in substantiis .

Postea quaeritur quare non dat passionem unam quantitati quod sit simplex et una, sed duplex, scilicet dici secundum eam aequale vel inaequale.

Et solvitur per hoc quod haec passio duplex communicat in aliquo uno, videlicet in hoc quod est proportionale, et ratione illius remanet passio una.

5 Sed tunc quaeritur quare magis assignat pro proprio quantitati aequale et inaequale quam proportionale, cum testatur Aristoteles quod melius est assignare pro proprio unum quam duo.

Et causa est quia hic assignat proprium quantitati non secundum se et in communi sed secundum quod est in suis partibus et speciebus, et magis secundum hoc convenit ei aequale et inaequale quam proportionale: ut ergo plus significet per duo specialia quam per unum generale assignat proprium per aequale et inaequale.

10 Sed adhuc remanet quaestio quare proportionale quod est genus ad aequale et ad inaequale magis determinatur circa quantitatem quam circa alia genera.

Sed hoc manifestum est ex speciebus proportionis quae fundatur omnino supra numerum et numeri species, ut sesquialtera, etc.

15 Sequitur quaerere: cum sic se habeat idem et diversum ad substantiam sicut aequale et inaequale ad quantitatem, quare non fuit sermo super hoc in parte de substantia.

Sed istud solvitur per hoc quod identitas et diversitas proveniunt ex comparatione speciei ad genus et speciei ad individua, et praeter hoc speciei ad definitionem; talis autem comparatio est possibilis in quolibet genere; simul est enim comparatio eorum quae sunt in genere quantitatis inter se ei quae est existentium in genere substantiae: idem ergo et diversum substantiae non appropriantur. Aequale autem et inaequale proveniunt ex comparatione quantitatis ad subiectum; simile autem et dissimile ex comparatione qualitatis ad subiectum: huiusmodi autem comparatio non fuit possibilis ex parte substantiae, cum substantia nullius sit accidens sive dispositio.

20 Sequitur <P 53rb> postea: cum sic se habeant aequale et inaequale ad quantitatem sicut simile et dissimile ad qualitatem, cum ergo ea quae participant aliquam qualitatem speciem eandem dicantur esse similia, et quae participant aliquam quantitatem speciem eandem dicentur esse aequalia, ergo omnia quae participant linearem dimensionem erunt aequalia; quod falsum est.

Sed istud solvitur per hoc quod aequalitas, et inaequalitas, non fundatur in quantitate continua nisi in quantum numeratur; linea enim non est lineae aequalis vel inaequalis quia linea, sed quia bicubita vel tricubita vel dupla vel <M 25rb> tripla. Dicuntur haec ergo aequalia in continuis quae communicant quantitatem unam in specie et eodem modo numeratam.

30 Item, intellige quod primo reperiuntur aequale et inaequale circa numerum, consequenter circa quantitatem continuam in quantum accidit ei numeratio.

Ex iam dictis quidem potest patere quare non dicitur aliquid quantum secundum quantitates 35 continuas nisi in quantum accidit eis numeratio - et hoc dico proprie - et causa est quia formae

mathematicae non habent essentialem comparationem ad subiectum, propter quod etiam dicitur quod auctor in assignatione proprii dicit, “dicitur”, et non, “dicuntur”.

Et haec de quantitate sufficiant.

LECTIO 10

Ad aliquid vero talia dicuntur, etc. (7, 6a36) In parte ista est sermo de dicibili quod est relatio, et dividitur haec pars in duas: in prima est sermo de relatione sive de dictis ad aliquid praeter dubitationem; in secunda, ut ibi: *Habet autem dubitationem*, etc. (7, 8a13), secundum viam dubitationis.

5 Et non habetur consimilis divisio in partibus quae praecesserunt, cuius rationem dicemus antequam pertranseamus. Patet quidem sufficientia et ratio ordinis, cum non sit pluribus modis manifestare, et prius sit manifestare et postea dubitare.

10 Pars autem prima adhuc in duas: in prima manifestat relationem penes sua substantialia; in secunda, ut ibi: *Inest autem relativis*, etc. (7, 6b15), penes sua accidentalibus, quia de proprietatibus et passionibus ipsa ordinabilia in genere relationis consequentibus. Et harum patet sufficientia et ordo ex praehabitis in partibus praecedentibus.

15 Pars autem prima adhuc in duas: in prima dat definitionem relativorum, simul innuens eorundem divisionem, et sic determinat de ordinabilibus in genere relationis et sufficientem horum dat cognitionem; in secunda, ut ibi: *ut maius* (7, 6a37-38), definitionem datam declarat. Et non sufficeret prima sine secunda; et patet ordo ex saepe dictis.

Pars ergo prima continet definitionem, et non dividitur; per hoc tamen quod dicit, *aliorum dicuntur* (7, 6a37), et per hoc quod dicit, *vel quomodolibet* (7, 6a37), innuit divisionem relativorum. Definitio quidem patebit inferius.

20 Pars autem secunda continet definitionis declarationem, et dividitur in duas: in quarum prima manifestat definitionem; in secunda, ut ibi: *Sunt autem accubitus*, etc. (7, 6b11), removet errorem in quem possit aliquis incidere ex prius determinatis. Et patet ratio ordinis et sufficientia talium partium ex saepe dictis.

25 Prima autem harum adhuc in duas: in prima manifestat definitionem quantum ad partem sui primam; in secunda, ut ibi *vel quomodolibet aliter ad aliud, ut maius* etc. (7, 6a37-38), quantum ad partem sui ultimam. Et patet ordo et sufficientia intuenti.

30 Sed prima harum adhuc in duas: in prima manifestat definitionem quantum ad primam sui partem per exemplarem declarationem cum dicit, *ut maius...et duplum*, etc. (7, 6a37-39), et hoc patet in littera; in secunda, ut ibi: *At vero*, etc. (7, 6b2), per demonstrationem, scilicet demonstrat eam, id est extrahit eam a demonstratione -hoc enim est demonstrare definitionem. Et est demonstratio talis: quaecumque hoc ipsum quod sunt aliorum dicuntur, et non aliter ad aliud sunt, sunt ad aliquid; sed habitus, affectus, disciplina, potentia et huiusmodi hoc ipsum quod sunt aliorum dicuntur, et non aliter ad aliud; ergo sunt ad aliquid; ex quo sequitur <M 25va> ad aliquid ergo sunt quaecumque hoc ipsum quod sunt aliorum dicuntur. Et haec est prima pars definitionis quae sic demonstratur, id est a demonstratione extrahitur. Et sequitur per hoc quod in omni demonstratione primae
35 figurae medius terminus est definitio maioris extremitatis. In demonstratione igitur sic procedit:

5 primo ponit conclusionem quae non est principaliter intenta cum dicit, *At vero* (7, 6b2), <P 53va>
secundo minorem cum sua declaratione cum dicit, *haec enim*, etc. (7, 6b3), tertio conclusionem
quae est principaliter intenta cum dicit, *Ad aliquid ergo*, etc. (7, 6b6-7) Et sic terminatur pars quae
declarat definitionem quantum ad partem sui primam. Et sequitur pars quae declarat ipsam quantum
ad partem sui ultimam, et est illa declaratio exemplaris quae manifesta est in littera. Et terminatur
pars quae declarat totalem definitionem.

10 Et sequitur pars quae removet errorem, et non dividitur, quia per modum narrationis in ea pro-
ceditur; vel dividatur per hoc quod verificat de speciebus, et per hoc quod removet a denominativis.
Quia igitur a demonstratione quae praecessit probatur positio esse ad aliquid, ideo verificat hoc de
15 positione et de eius speciebus, non autem de suis denominativis, sicut posset aliquis credere quae
magis sunt de praedicamento situm esse. De suis ergo speciebus verificat in hunc modum: accubi-
tus, statio, sessio sunt positiones; positio est ad aliquid; ergo haec. Dat maiorem primo cum dicit,
Sunt autem, (7, 6b11) secundo minorem cum dicit, *positio vero ad aliquid* (7, 6b12); ab eorum
ergo denominativis removet hoc per hoc quod subdit, *iacere autem*, etc. (7, 6b12), ut patet ex litte-
15 ra, quia si affirmatio est causa confirmationis, et negatio erit causa negationis. Et sic terminatur pars
quae manifestat relationem sive ad aliquid dicta per sua essentialia. Patet sufficientia, ratio ordinis
et continentia.

20 Primum dubitabile est de ordinatione: quoniam autem qualitas remanet causa eius quod est ad
aliquid sicut quantitas -- quod patet ex proprietate qualitatis quae est facere simile et dissimile --
remanebit qualitas prior relationi sicut causa est prior suo effectui.

Sed istud solvitur per hoc quod relatio maxime fundatur super quantitatem: nam quantitate exi-
stente, de necessitate accidit totum existere, et hoc existente, de necessitate est pars, et his existenti-
bus, de necessitate existit relatio quae est habitudo partis ad totum.

25 Et praeter hoc: existente numero, de necessitate existit duplum et subduplum -- hoc palam est ex
habitudine binarii ad unitatem -- et his existentibus, de necessitate est relatio; quia ergo non est pos-
sibile ponere quantitatem non ponendo relationem, cum exeat etiam a quantitate per eius proprie-
tatem propriam, quia etiam fiebat mentio de relativis in parte de quantitate, immediate post quantitatem
egit de relatione; quamvis qualitas sit eius causa, attamen non est eius causa secundum omnem sui
speciem.

30 Sed intellige quod opposito modo est in *V^o Metaphysicae*; ibi enim prius de qualitate quam de
relatione. Et causa est quia ibi distinguitur quotiens singulum dicitur; quia igitur tum cum est sub-
stantialis, tum accidentalis, ratione substantialis praeordinatur ibi pars de qualitate; qualitas quidem
quae est genus accidens est unde non sic est necesse ex parte ista.

35 Sequitur consequenter si relatio est genus quoddam eorum quae sunt. Et quia tot sunt species
entis quot et motus, debetur cuilibet speciei entis aliqua species motus; non ergo remanebit pars vel

species entis, cum ei quod est ad aliquid non debetur aliqua species motus, ut in *V^o Physicorum*: et sic non erit genus.

Et praeter hoc in quolibet genere est aliquid quod est actu et aliquid quod est potentia: sed nihil exit a potentia in actu nisi per motum vel per mutationem; in quolibet ergo genere est motus vel mutatio; in relatione vero non est motus vel mutatio: ergo non erit genus.

Et praeter hoc : si ponamus relationem inesse, accidit infinitum; si ergo non est ponere infinitum, nec est ponere relationem inesse. Primum patet ex hoc quod si ponatur relatio inesse, cum non sit substantia sed accidens alicui, ergo inhaerebit; relationis ergo erit aliqua inhaerentia; inhaerentia autem est relatio quaedam: erit ergo relatio relationis, et sic in infinitum.

Primum solvitur per hoc quod in eo quod est ad aliquid non est motus vel mutatio primo sed ex consequenti; verbi gratia, si aliquis esset effectus una specie coloris, ut albedine, et alius opposita specie, ut nigredine, et fiat transmutatio circa alterum in speciem oppositam, generabitur similitudo et sic relatio, secundum quod dicit Aristoteles quod altero mutato, exit in esse relatio. Et per hoc solvitur secundo quaesitum.

Postea vero quaesitum solvitur per hoc quod relatio non est inhaerentia aliqua quae ei accidat sed inhaerentia quae non differt a sua essentia, propter quod prohibetur ire in infinitum, sicut quantitas <P 53vb> dicitur “quanta” non a quantitate quae ei accidit sed a quantitate quae non differt a sua essentia; alia autem dicuntur “quanta” a quantitate quae accidit.

Sequitur quaerere an sit genus unum. Et quia ad aliquid est congregatum ex subiecto et accidente; subiectum vero et accidens non sunt eiusdem generis: apparet quod sit in diversis generibus et non unum genus.

Et praeter hoc: quoniam unius est causa una; relationis autem non est causa una; quare relatio non erit genus unum. Et patet minor, quia substantia, quantitas, qualitas, etc. remanent causa relationis: haec autem non communicant genus unum.

Primum solvitur per hoc quod ad aliquid non remanet genus ratione subiecti sed ratione accidentis in subiecto; accidens autem erat unum secundum essentiam. Et hoc dictum est prius. Ponunt etiam aliqui quod ad aliquid non remanet genus sed potius relatio, et hoc significet de accidente solum.

Postea quaesitum solvitur per hoc quod substantia non est causa relationis absolute sed substantia comparata ad substantiam, et similiter quantitas ad quantitatem, et sic de aliis. Ista ergo communicant in eo quod est comparabile: propter quod remanent causa una in genere relationis.

Et praeter hoc: scimus quod identitas et diversitas proveniunt ex hoc quod substantia una vel differens participatur a multis; aequalitas et inaequalitas ex hoc quod una quantitas vel differens participatur a multis; similitudo et dissimilitudo ex hoc quod una qualitas vel differens. Ista ergo in

quantum remanet esse relationis communicant in eo quod est unum vel differens communicari a multis; propter quod remanent causa una in genere relationis: et sic relatio genus unum et genus.

Postea quaeritur quare non determinat de relatione sed de relativo vel de eo <M 26ra> quod est ad aliquid, cum magis significetur genus per hoc quod dico “relatio”, quam per hoc quod dico, “relativum” vel “ad aliquid”.

Cuius ratio est quia hic de relatione est sermo ut habet modum deficientem ab aliis generibus, cum non sit nisi relatio et comparatio aliorum secundum Boethium; alia genera autem habebant modum substantiae. De relatione ergo erit sermo non ut habet modum substantiae, et sic se habet relativum vel ad aliquid et non relatio.

Item, intellige quod propriissime significatur hoc genus per prepositionem cum suo casuali, cum secundum Boethium non sit nisi circumstantia et comparatio et relatio omnium aliorum generum; comparatio autem omnis terminatur ad id ad quod fit comparatio, et hoc non contingit significari nisi mediante circumstantia quae designatur per prepositionem: peroptime igitur et propriissime nominatur hoc genus per prepositionem cum suo casuali, et sic “ad aliquid” et non “relatio” vel “relativum”.

Item, magis nominatur sic per sermonem compositum quam simplicem, quia intendit significare de ipsa relatione et extremo relationis, et hoc non potest significari nisi sic per sermonem compositum; nam hoc ipsum “relativum” solum significat de extremo relationis, “ad aliquid” autem magis de relatione et extremo.

Et tunc remanet propter quid dat intentionem unius extremorum, scilicet tantum existentis ex parte finis et non ex parte principii.

Et causa huius est quia non potest accipere aliquid commune quod esset extremum ex parte principii, neque secundum rem, neque secundum intentionem; possibile autem est accipere aliquid commune ex parte finis. Est enim conveniens dicere, “filius” dicitur ad aliquid, “pater” dicitur ad aliquid, et sic de aliis, et quamvis etiam esset accipere aliquid commune ex parte utriusque, magis tamen debent dare intentionem ex parte finis, cum sit comparatio et relatio aliorum, ut diximus, et principium et primum efficiens comparisonis cuiuslibet est secundum et non primum, ut vult Boethius.

Postea quaeritur propter quid datur definitio per modum multitudinis et non unius.

Et causa huius est quia intendit significare duplicem esse habitudinem quorumlibet dicibilium ad aliquid et multiplicem divisionem, verbi gratia “pater” dicitur ad filium, et “filius” ad patrem.

Et ut hoc significet etiam dicit, *dicuntur* (7, 6a36), et non dicit, “sunt”; definit enim quae sunt ad aliquid, sive sint ad aliquid secundum dictionem, sive secundum id quod sunt. Dicit autem convenienter, *talia* (7, 6a36), et non “ea”, quia substantia non dicitur ad aliquid, nec etiam accidens, sed subiectum sub accidente, et hoc <P 54ra> intendens, dicit, *talia*; tale enim significat congrega-

tum ex subiecto et accidente quod est relatio. Bene etiam dicit, *quaecumque* (7, 6a36), et non “qualiacumque”, ut sic significet quod non solum referatur qualitas sed etiam res sub qualitate existens. Dicit etiam, *hoc ipsum quod sunt* (7, 6a36), et non, “ea ipsa quae sunt”, ut sic significet divisim de utraque extremitate ea dici ad aliquid, ut “dominus” ad servum, et “servus” ad dominum; quod ergo dicit, *hoc*, respicit subiectum cui accidit relatio; quod addit, *ipsum*, respicit relationem quae subiecto accidit secundum quam dicitur ad aliquid. Bene etiam dicit *aliorum vel quomodolibet aliter* (7, 6a37), sic innuens divisionem relativorum, et quae magis vere dicuntur ad aliquid, et quae minus. Orinatur etiam haec definitio hoc modo, *talia dicuntur ad aliquid quaecumque hoc ipsum quod sunt* (7, 6a36), idest secundum esse dicuntur aliorum, *vel quaecumque dicuntur quomodolibet aliter* (7, 6a36-37), et sic significat quod secundum differentem habitudinem casualem differt modus dicendi in eis quae dicuntur ad aliquid.

Intellige ergo in hoc genere genus generalissimum esse “ad aliquid” vel hoc quod dico, “relatio”; genera intermedia et species dicamus esse, “dici aliorum”, “dici quomodolibet aliter ad aliud”; species autem specialissime huius “dici aliorum”: “dici genitive”, “dici ablative”; huius autem “dici quomodolibet aliter”: “dici accusative”, “dici dative”; “dici” autem “sic genitive”, “sic dative”, “sic ablative”, etc., sunt individua.

Item, intellige quod per “dici aliorum” innuit quae verissime dicuntur ad aliquid, sicut ea quae dicuntur genitive vel ablative, ut patet in exemplis Aristotelis; horum enim esse est ad aliud quodammodo se habere; haec enim non sunt ad aliquid per aliquid additum suae essentiae, sed id quod sunt, non solum secundum modum sive secundum dictionem, sed secundum esse et secundum veritatem sunt ad aliquid; horum enim maxime est finita comparatio; haec enim sibi ipsis se ipsis possunt comparari, ut patet in duplum et maius; per “dici” autem “quomodolibet” intelligit quae non adeo vere sunt ad aliquid, sicut quae dicuntur dative vel accusative, ut similiter patet in exemplis Aristotelis; horum enim non est adeo finita comparatio, ut patet in magnum et parvum; haec enim sibi ipsis se ipsis non possunt comparari sed mediante circumstantia; tamen id quod sunt, ad aliquid sunt.

Nec intellige ex iam dictis quod si genitive, quod verissime aut verius quam dative vel accusative; potest enim dici genitive et tamen esse ad aliquid secundum dictionem solum aut per aliquid additum suae essentiae, sicut habitus dicitur alicuius habitus, aut manus alicuius manus, sed illud verissime dicitur ad aliquid cuius esse est ad aliud quodammodo se habere sicut dicemus in sequentibus.

Sed intellige quod si aliqua dicuntur ad aliquid secundum veritatem, et quaedam eorum possunt sibi ipsis comparari, scilicet genitive vel ablative, et quaedam non nisi mediante circumstantia designata per praepositionem, verius sunt ad aliquid quae sibi ipsis, etc., ut patet in duplum, maius et magnum.

Item, intellige quod secundum quod est accipere dativum loco genetivi, nulla est differentia dici
genetive, dici dative; secundum tamen quod different, quod dici dative non habet definite in se ad
quod dicatur sicut quod dicitur genetive, dummodo genetive et secundum esse, et non secundum
dictionem solum aut per aliquid additum suae essentiae, nec est adeo vere ad aliquid, sicut patet de
5 eo quod est simile et aequale, quae habent qualitatem et quantitatem pro subiecto, similiter de eo
quod est idem, quod habet substantiam.

Ex his ergo iam dictis intellige quod ad aliquid dividitur per dici ad aliquid et esse ad aliquid, et
dici ad aliquid aut secundum se, aut secundum genus, et super hoc erit sermo <M 26va> inferius;
et etiam qualiter habitus et huiusmodi sunt ad aliquid, quia sunt qualitates, et per aliquid additum
10 suae essentiae sunt ad aliquid. Optimum exemplum super hoc ultimo dictum est pictura, quae in se
considerata qualitas est, quia color; comparando ad illud cuius est imago est similitudo quedam, et
sic relatio fundata in qualitate: sic est de scientia et huiusmodi.

LECTIO 11

Inest autem relativis, etc. (7, 6b15) Haec est pars quae manifestat relationem penes sua accidentalialia, quae est de passionibus et proprietatibus ipsa ad aliquid dicta consequentibus, et dividitur in duas: in prima dat proprietates quae insunt relativis et aliis; in secunda, ut ibi: *Omnia autem relativa* (7, 6b28), dat proprietates quae sic insunt relativis ita quod nullis <P 54rb> aliis. Et patet sufficientia et ordo iuxta consimilem divisionem in praecedentibus.

Prima autem harum adhuc in duas penes duas proprietates: prima est de eo quod est habere contrarium; secunda, ut ibi: *Videtur autem* (7, 6b19) est de eo quod est suscipere magis et minus. Et patet harum sufficientia et ordo ex praehabitis in partibus praecedentibus.

10 Prima autem harum adhuc in duas penes duas quaestiones quas determinat: in prima determinat hanc quaestionem, an habere contrarium insit relativis, et hoc in partem affirmativam; in secunda, ut ibi: *Non autem omnibus* (7, 6b17), determinat hanc quaestionem, an insit ut proprium, et hoc in partem negativam. Et ex praehabitis in parte de substantia patet harum sufficientia et ordo in suo consimili.

15 In parte ergo prima, cum determinat primam quaestionem, unam solam ostendit conclusionem, quae est manifestatio quaestionis: quam primo proponit cum dicit, *inest autem*, etc. (7, 6b15); secundo ostendit cum dicit, *ut virtus vitio*, etc. (7, 6b15-16), et est ostensio exemplaris declaratio, ut patet ex littera.

20 In parte autem secunda, cum determinat secundam quaestionem, omnino est consimilis processus, ut patet inspecta littera. Et sic terminatur pars quae dat primum consequens.

Et sequitur pars quae dat secundum, scilicet suscipere magis et minus, et dividitur sicut pars quae praecessit in duas penes duas quaestiones quas determinat: in prima determinat an suscipere magis et minus insit relativis, et hoc in partem affirmativam; in secunda, ut ibi: *Non autem omnia*, etc. (7, 6b24-25), an insit ut proprium, et hoc in partem negativam. Et patet sufficientia et ordo 25 iuxta iam dicta, et est omnino consimilis processus in his partibus et in partibus praecedentibus. In utraque enim parte unam solam intendit conclusionem, quam primo proponit, secundo ostendit, et sunt ostensiones exemplares declarationes, ut patet unicuique inspecta littera. Et terminatur totalis pars quae dat proprietates quae insunt ad aliquid dictis et aliis.

Et sequitur illa pars quae dat proprietates quae insunt relativis ita quod nullis aliis, scilicet quae 30 dat proprie propria, cum iam dat consequentia communia, et dividitur in duas penes duas proprietates: in prima dat primam, et est omnia relativa dici ad convertentiam; in secunda, ut ibi: *Videtur autem*, etc. (7, 7b15), dat secundam, et est quod relativa sunt simul natura. De quarum sufficientia et ordine patebit inferius.

Prima autem harum in tres penes tres quaestiones quas determinat: in prima determinat primam, 35 et est an dici ad convertentiam insit omnibus relativis; in secunda, ut ibi: *sed casu*, etc. (7, 6b33),

determinat secundam, et est an eodem modo insit omnibus; in tertia, ut ibi: *At vero*, etc. (7, 6b36), determinat tertiam, et est quid est observandam ad habendam convertentiam. Et patet sufficientia et ordo pertractanti, cum semper posterior quaestio sequatur ex determinatione prioris, cum secunda sequatur ex prima, tertia <M 26vb> autem ex ambabus, et hae sufficientem dant huiusmodi proprii cognitionem.

Ad determinandum ergo primam quaestionem unicam solam intendit conclusionem, quam primo proponit, secundo ostendit, et sic quaestionem determinat in partem affirmativam: proponit igitur cum dicit, *Omnia autem*, etc. (7, 6b28); ostendit cum dicit, *ut servus*, etc. (7, 6b28-29), et est ostensio exemplaris declaratio ut patet ex littera.

Ad determinandum autem secundam quaestionem similiter procedit: unicam solam ostendit conclusionem, quam primo proponit cum dicit, *sed casu*, etc. (7, 6b33); secundo ostendit cum dicit, *ut disciplina* (7, 6b33-34), et sic quaestionem determinat in partem negativam. Et est ostensio exemplaris declaratio, ut patet ex littera.

Ad determinandum quidem tertiam quaestionem sic procedit: primo dicit quod conveniens assignatio est observanda ad habendam convertentiam; secundo, ut ibi: *si enim peccet* (7, 6b38), hoc ostendit. Et secundum hoc dividatur, si placet; nec sufficeret prima sine secunda; et patet ordo.

Prima ergo non dividitur, et plana est continentia littera inspecta. Sed secunda dividitur in duas penes duas quaestiones quas determinat: in prima determinat an conveniens assignatio est observanda; in secunda, ut ibi: *Amplius, si convenienter*, etc. (7, 7a31), determinat quae sit conveniens assignatio et quae non. Et per hoc quod determinatio posterioris quaestionis sequitur ex determinatione prioris patet sufficientia et ordo.

Sed prima harum adhuc in duas: in prima determinat an conveniens assignatio est observanda in his quae dicuntur ad aliquid; in secunda, ut ibi: *Dico autem quoniam*, etc. (7, 7a25), an sit observanda in his quae sunt ad aliquid. Et patet sufficientia, cum non sint pluribus modis substantia aliqua ad aliquid; et patet ordo per hoc quod communius sunt <P 54va> ad aliquid quae secundum dictionem quam quae secundum esse.

Et pars prima adhuc in duas: in prima ostendit quod conveniens assignatio est observanda in dictis ad aliquid, et sic terminat quaestionem in partem affirmativam; in secunda, ut ibi: *Aliquotiens autem* (7, 7a5), removet quoddam impedimentum contra huiusmodi convenientem assignationem, quod provenit ex defectu vocabulorum. Nec sufficeret prima sine secunda; et patet ordo.

Prima autem harum non dividitur, sed unicam continet demonstrationem, quae talis est: cuiuscumque oppositum impedit convertentiam, illud est observandum ut fiat convertentia; sed assignatio inconveniens impedit convertentiam; ergo conveniens assignatio est observanda ut fiat convertentia. Maiorem non ponit, quia est in se manifesta, sed explanat minorem cum dicit, *si enim* (7, 6b38), et conclusio est quod dicit, *quare si assignetur convenienter* (7, 7a3-4).

Secunda autem dividitur in duas penes duas quaestiones quas determinat: in prima determinat an fingenda sint nomina, et hoc in partem affirmativam; in secunda, ut ibi: *Sic autem fortasse*, etc. (7, 7a18), quomodo. Et patet ordo et sufficientia per hoc quod determinatio posterioris sequitur ex determinatione prioris: unde non sufficeret prima sine secunda. Sic ergo dat remedium contra defectum vocabulorum, et removet impedimentum, etc.

In prima ergo parte sic procedit: primo dicit quod est fingere nomina cum non sint imposita, cum dicit, *Aliquotiens autem*, etc. (7, 7a5); secundo manifestat hoc exemplariter cum dicit, *ut remus* (7, 7a7), et cum dicit, *Similiter autem et in aliis, ut caput*, etc. (7, 7a15-16), et in remo et remito, et capite et capitato, ut patet ex littera. Et secundum hoc potest dividi, si placet; et plana erit sufficientia et ordo intuenti.

In secunda autem parte sic procedit: primo dat artem fingendi nomina cum dicit, *Sic autem fortasse*, etc. (7, 7a18), et est ars invenire nomina *ab his quae prima sunt* (7, 7a19), idest ab eis quorum nomina <M 27ra> sunt primo imposita, quia sic est recte procedere, et erraret si fingeret aliquis indifferenter ex quolibet nomine; secundo exemplificat super hoc cum dicit, *ut ab ala*, etc. (7, 7a20-21); tertio quidem concludit quod omnis relativa dicuntur ad convertentiam si conveniens fuerit assignatio, ut sic habeatur principalis conclusio quod conveniens assignatio est observanda ad habendam converentiam, et hoc in his quae dicuntur ad aliquid, et hoc est quod dicit, *Omnia ergo*, etc. (7, 7a22) Secundum hoc autem poterat dividi, si placet; et plana erit sufficientia et ordo intuenti. Et terminatur illa pars quae manifestat quod conveniens assignatio est observanda in his quae dicuntur ad aliquid.

Et sequitur illa pars in qua manifestat hoc in his quae sunt ad aliquid et non dicuntur, sed continet eandem demonstrationem quae et prius fuit in his quae dicuntur ad aliquid, et est talis: cuiuscumque oppositum impedit convertentiam illud est observandum ut fiat convertentia; sed non conveniens assignatio impedit convertentiam – et intellige, in his quae sunt ad aliquid sicut prius in his quae dicuntur ad aliquid – ergo, etc. Solum explanat minorem cum dicit, *Dico autem quoniam neque*, etc. (7, 7a25) Et terminatur totalis pars quae ostendit quod conveniens assignatio est observanda.

Et sequitur pars quae determinat quae est conveniens assignatio et quae non, et dividitur in duas: in prima determinat quae est conveniens assignatio, dando unam regulam; in secunda, ut ibi: *Si vero non*, etc. (7, 7b1), determinat quae non, dando aliam regulam. Et patet harum sufficientia et ordo intuenti.

Prima ergo regula est haec: si *a* assignetur ad *b* gratia *c*, circumscriptis omnibus accidentibus *b* praeter *c*, et adhuc dicatur *a* ad *b*, conveniens fuit assignatio. Primo ergo dat hanc regulam cum dicit, *Amplius*, etc. (7, 7a31); secundo explanat eam exemplarite cum dicit, *ut si servus*, etc. (7, 7a34-35) Et plana est littera.

Secunda vero regula est haec: si *a* assignetur ad *b* gratia *c*, et circumscriptis omnibus accidentibus *b* praeter *c*, et non dicatur *a* ad *b*, tunc non conveniens fuit assignatio. Primo ergo dat hanc regulam cum dicit, *Si vero non convenienter*, etc. (7, 7b1); secundo explanat eam exemplariter cum dicit, *assignetur enim*, etc. (7, 7b3-4), et plana est littera; et his determinatis, concludit cum dicit, **5** *Quare*, etc. (7, 7b10), quod conveniens assignatio est observanda, et si hoc, omnia relativa dicuntur ad convertentiam, et hoc est principaliter intentum. <P 54vb> Et sic terminatur haec totalis pars quae dat primum proprium.

Et sequitur pars quae dat secundum proprium, et dividitur in duas penes duas quaestiones quas determinat: in prima determinat hanc quaestionem, an simul esse natura insit relativis; in secunda, **10** ut ibi: *Non autem in omnibus*, etc. (7, 7b22), determinat an insit omnibus. Et harum patet sufficientia et ordo iuxta consimilem divisionem praehabitam.

In prima ergo parte sic procedit: primo dicit quod relativa sunt simul natura cum dicit, *Videntur autem*, etc. (7, 7b15), et potest dici quod dicit, “videntur”, tum quia nondum ostensum est hoc proprium, tum quia non inest universaliter; secundo quidem hoc ostendit, et primo exemplariter cum **15** dicit, *simul enim*, etc. (7, 7b16), cui litterae debet sequi, *Et in aliis quidem*, etc. (7, 7b15-16), secundo demonstrative cum dicit, *et cum sit duplum*, etc. (7, 7b17) Et est demonstratio talis: quaecumque se posita ponunt, destructa se destruunt, sunt simul natura; <M 27rb> quaedam relativa sunt huiusmodi; ergo, etc. Maior in se manifesta est; probatio minoris est quod dicit, *et cum sit duplum* (7, 7b17), usque in finem partis, ut patet ex littera. Et sic terminatur quaestio in partem affirmativam. **20**

In secunda quidem parte sic procedit: primo terminat quaestionem in partem negativam, inducendo quod non est hoc verum in omnibus cum dicit, *Non autem in omnibus* (7, 7b22); secundo autem hoc ostendit instando, et primo in scientia et scibili, secundo, ut ibi: *Similiter autem his* (7, 7b35), in sensu et sensibili. Et secundum hoc dividatur pars quae ostendit, et patet sufficientia; nec **25** est vis in ordine.

In prima ergo parte sic procedit: determinat hanc quaestionem, an scibile prius sit scientia, et hoc in partem affirmativam, et primo inducendo cum dicit, *scibile enim*, etc. (7, 7b23), secundo hoc ostendendo cum dicit, *namque in pluribus*, etc. (7, 7b24), et cum ostendit, ostendit duabus rationibus, et secundum hoc sunt duae partes, et incipit secunda pars ibi: *Amplius*, etc. (7, 7b27) Prima **30** ergo ratio talis est: quidquid supponit aliud illud est prius quod est suppositum; scientia supponit scibile; ergo scibile prius est scientia. Maior in se nota est, et ideo eam non ponit; minoris explanatio est hoc quod dicit, *namque in pluribus* (7, 7b24) Et sciendum quod probatio non explanat minorem simpliciter sed in pluribus; *in paucis vero* (7, 7b25-26) dicit propter illa quorum esse contingit intellegi et sic sciri, ut chimerae et hircocervi et huiusmodi.

Secunda quidem ratio talis est: quod peremptum perimit aliud, et non econverso, prius est; scibile peremptum perimit scientiam, et non e converso; ergo scibile prius est scientia. Maior in se nota est; minorem quidem ponit et ostendit, ponit cum dicit, *scibile*, etc. (7, 7b27), ostendit cum dicit, *nam, si scibile*, etc. (7, 7b29), et primo primam partem, deinde secundam. Ostensio ergo primae est cum dicit, *nam si scibile*. (7, 7b29) Cum ergo ostendit secundam, primo ostendit ipsam exemplo, repetendo ipsam minorem, primo cum dicit, *scientia vero si non sit* (7, 7b30), consequenter exemplificando cum dicit, *ut circuli*. (7, 7b31) Deinde ostendit ipsam syllogismo cum dicit, *Amplius animal*, etc. (7, 7b33), et est talis: videtur quod animal interimat scibile quam scientiam, cum sit in plus; sed animal interemptum non interimit scibile; ergo nec scientia. Solum ponit minorem cum dicit, *Amplius*, etc. (7, 7b33)

In secunda quidem parte determinat hanc quaestionem, an sensibile sit prius sensu, et hoc in partem affirmativam sicut quaestionem praecedentem, et primo inducendo cum dicit, *sensibile enim*, etc. (7, 7b36); in primis tamen continuat se cum dicit, *Similiter autem his*, etc. (7, 7b35), secundo hoc ostendendo cum dicit, *sensibile enim*, etc. (7, 7b36), et ostendit duabus rationibus, et secundum hoc sunt duae partes, et incipit secunda ibi: *Amplius sensus*, etc. (7, 8a6-7) Prima igitur ratio talis est: quidquid interemptum interimit aliud, et non econverso, prius est; sensibile interemptum interimit sensum, et non econverso; ergo sensibile prius est. <P 55ra> Solum dat minorem cum sua declaratione: minorem cum dicit, *nam sensibile*, etc. (7, 7b36-37); declarationem cum dicit, *Sensus enim*, etc. (7, 7b38) Et primo declarat primam partem minoris, secundo secundam. Primam sic: si non est sensibile, non est corpus; si non est corpus, non est sensus; ergo, a primo, si non est sensibile, non est sensus. Prima autem harum propositionum est quod dicit, *sensibili enim*, etc. (7, 7b39), et explanatio illius est quod dicit, *sensibile enim*, etc. (7, 8a1), et isto modo primo debet legi, etsi non primo ordinetur in littera. Secundo vero est quod dicit, *cum vero corpus non sit* (7, 8a1-2), et explanatio illius debet esse quod dicit, *Sensus enim circa corpus*, etc. (7, 7b38-39), et isto modo ordinetur et legatur littera, et <M 27va> planior erit processus. Tertia vero harum sive conclusio est hoc quod dicit, *quare simul* (7, 8a2-3), et sic totalem ponit rationem in littera, quia maiorem cum sua declaratione et minorem cum sua declaratione et conclusionem, et sic sufficienter ostendit primam partem.

Repetit ergo aliam partem minoris principalis demonstrationis cum dicit, *Sensus vero sensibilis*, etc. (7, 8a3-4), et ostendit hoc sic: animali perempto, perimitur sensus, sensibile vero non; ergo sensu perempto, non perimitur sensibile. Primo ponit maiorem cum dicit, *animali autem*, etc. (7, 8a4), secundo minorem cum dicit, *sensibile vero*, etc. (7, 8a5), et tertio eius exemplarem declarationem cum dicit, *ut corpus*, etc. (7, 8a5) Et terminatur prima ratio. Secunda igitur talis: sensus et sensatum simul sunt; sed sensibile prius est sensato; ergo et prius sensu. Primo dat maiorem cum sua declaratione cum dicit, *Amplius*, etc. (7, 8a6); secundo minorem cum dicit, *sensibile vero*, etc.

(7, 8a8); tertio conclusionem cum dicit, *quare*, etc. (7, 8a11) Et terminatur haec pars totalis quae dat illud proprium relativorum, simul esse natura, et totalis pars quae dclarat ad aliquid dicta praeter dubitationem, et patet continentia, ratio ordinis et partium sufficientia.

5 Primum dubitabile est quare oppositio relative non est oppositio quae est contrarietas, et eorum quae dicuntur ad aliquid est oppositio relativa, ergo eorum quae dicuntur ad aliquid non erit oppositio quae est contrarietas.

Amplius, opposita relativa secundum quod huiusmodi non sunt nata fieri circa idem – paternitas enim non opponitur filiationi quae est circa idem sed quae est in alio – contraria autem omnino nata sunt fieri circa idem; ergo opposita relativa non erunt opposita contraria.

10 Amplius, opposita relative simul sunt possibile esse in substantia una simpliciter et non secundum quid, sed alio et alio respectu; opposita contrarie non possunt esse in eodem simul nisi secundum quid.

Amplius, contraria sunt nata omnino facere sese extra naturam; non sic autem opposita relative.

15 Et praeter haec: habebatur prius quod illud quod est ad aliquid quomodo hoc contrarium habebit.

Ex his ergo omnibus colligitur quod non est contrarietas in relativis, et hoc verum est ut unum relativum ad alterum habet comparisonem, sed ut unum ad aliud extrinsecus comparatur, ad quod non se habet secundum viam relationis, ut patet in scientia et ignorantia, inter quae non est habitudo relationis sicut inter scientiam et scibile. In relativis ergo, ex una parte est contrarietas, ex altera parte oppositio relativa, sed non est ex eadem parte contrarietas ex qua est oppositio relativa.

20 Item, intellige, ut supra notavimus, quod solum est contrarietas possibilis in his quae dicuntur ad aliquid secundum modum, et sunt alterius generis secundum veritatem: unde duplici vel triplici nihil est contrarium sed scientiae ignorantia, quae id quod est est qualitas, ut supra diximus, est tamen ad aliquid comparando ad scibile, sicut est de pictura.

25 Item, intellige quod ignorantia est negatio et dispositio sicut invisibile, ut lapis ignorat, et sic dicta non sunt contraria. Sed ignorantia <M 27vb> dispositio est contraria; est enim habitus contrarius scientiae; sunt autem privative opposita; est enim uno modo reducere omnem oppositionem ad privationem et habitum.

30 Sequitur de magis et minus, et quia “plus” et “minus” dico in quo est plus et minus de contrario; in relativis secundum quod huiusmodi non est possibilis contrarietas: igitur nec plus et minus.

Et praeter hoc: quia in quo genere sunt magis et minus, in eodem est motus possibilis, et in ad aliquid non est motus, ergo nec magis et minus.

Istud totum solvitur per hoc quod in relativis secundum veritatem non est possibile magis et minus, nec est magis et minus in his quae dicuntur ad aliquid nisi ratione eorum quae fundatur rela-

tio, sicut se habent <P 55rb> simile et dissimile secundum qualitatem, et in huiusmodi erat motus primo et consequenter in ad aliquid.

Sed tunc dubitatur qualiter aequale et inaequale recipit magis et minus, cum sit ad aliquid in quantitatem quae non recipit magis et minus.

5 Sed hoc solvitur per hoc quod universaliter est magis et minus ex parte inaequalitatis et similiter ex parte aequalitatis non autem magis et minus; dicitur enim inaequalitas maior et minor alia sicut numerus alio numero maior vel minor. Quia autem aequalitas fundatur supra quantitatem, illud autem supra quod fundatur est unum indivisibile non potens intendi nec remitti, cum sit certa mensura eius quod mensuratur – est enim aequale quod suprapositum alii nec excedit nec exceditur – unde
10 aequalitas consistit in indivisibili, quia in puncto, non potest aliquo modo suscipere magis et minus.

Sed adhuc quaeritur quare dicit magis et minus esse in eo quod est inaequale secundum genus et non secundum speciem, non enim in eo quod est duplum vel triplum.

Et causa huius est quia fuit indeterminatio ex parte generis et dispositio opposita ex parte speciei; sic autem est motus in quantitate secundum genus et non secundum speciem, verbi gratia, a
15 magno in parvum vel econverso.

Sed adhuc quaeritur propter quid attribuitur magis et minus eis quae sunt relativa secundum veritatem; contrarietas autem non nisi eis quae sunt relativa secundum modum.

Et causa huius est quia ea quae sunt ad aliquid secundum veritatem fundantur supra ea in quibus est magis et minus secundum veritatem; nec arguat ex hoc aliquis, et in quibus est contrarietas secundum veritatem, ergo et in relativis secundum veritatem erit possibile contrarietas, nisi dicatur
20 “contrarietas” valde in extensu qualiscumque privato.

Sequitur de proprie propriis, et est prima quaestio quare assignat plura proprie propria relativorum. Et praeter hoc: quare ista quae assignat et non alia, et etiam de ordine.

Ad primum dicendum, sicut dicit Boethius, quod consideratio relationis non est in uno sed in
25 duobus: unde conveniens fuit certificare ad aliquid per plura propria, non enim cognoscibile per se.

Ad alia ergo dicendum quod dat duo propria, quorum primum est ex parte dicere, secundum ex parte coniuncti vel esse: unde etiam pertractandi patet sufficientia et ordo, cum non sint ad aliquid
<M 28ra> nisi secundum dictionem aut secundum coniunctum vel esse, et convenientius sunt ad aliquid quae secundum dictionem quam quae secundum esse.

30 Dubitatur ergo super primo proprio: quoniam conversio ista non est nisi secundum casualem habitudinem; habitudo autem casualis remanet passio in grammaticis; non erit ergo sermo super hoc in logicis.

Sed solvitur per hoc quod habitudo ista est proveniens ex habitudine rerum, et hanc considerat logicus, et praeter hoc, ex habitudine modorum significandi, quam considerat grammaticus.

Et praeter hoc remanet quare dicitur relativum ad correlativum, ita quod dicitur semper rectus ad obliquum et numquam rectus ad rectum vel obliquus ad obliquum.

Et causa huius est quia si diceretur rectus ad rectum, esset eorum intransitivo, et sic substantia et persona eadem. Nunc autem non est substantia utriusque relativorum eadem sed differens. Nec
5 potest obliquus dici ad obliquum; oportet enim illud a quo inchoat dictio esse stans et fixum, sed sic se habet rectum.

Sequitur postea quare in quibusdam est conversio secundum casum similem, in quibusdam secundum dissimilem.

Et causa huius sumitur secundum causam modorum significandi, quam non considerat logicus
10 set supponit inesse. Vel potest dici quod quaedam sunt relativa quae id quod sunt sunt ad aliquid, quorum quidem comparatio aequaliter incipit ab utroque extremorum, ut sunt “duplum” et “dimidium”; et huiusmodi non habent differentiam casuum in comparatione, sed maxime comparantur secundum genitivum casum, qui est maxime conveniens relationi; quandoque tamen secundum da-
15 tivum, secundum quod est sumere dativum loco genitivi. Quaedam autem relativorum non sic se habent, sed est eorum comparatio quod una extremitatum per se est ad aliam, et non econverso, ut patet in “scientia” et “scibile”; “scientia” enim per se dicitur ad scibile, “scibile” vero non dicitur ad scientiam nisi per scientiam, unde quasi per denominationem est ad aliquid, et ideo dicitur <P
55va> ablative, “scibile scientia scibile”. Et sic quaedam secundum similem casum, quaedam secundum dissimilem.

20 Sed adhuc quaeritur qualiter omnia relativa dicuntur ad convertentiam, cum imago non videatur dici ad aliquid; licet enim dicatur “imago Achillis”, non tamen dicitur “Achillis imaginis”.

Sed dicitur, si convenienter assignetur, ut ad imaginatum, non ad Achillem.

Item, intellige hic: in *V^o Philosophie primae* intendit Aristoteles distinguere quotiens singulum dicitur, et ob hoc ibi in parte de relatione omnes modos relationis determinat, sive sint per se, sive
25 sint per accidens; hic autem nihil de relativis per accidens ut ibi. In parte tamen de quantitate est sermo de quantitibus per accidens; diffusius enim determinat res quantitatis quam aliorum propter hoc quod a tempore et loco nascuntur duo alia genera, scilicet quando et ubi, non autem sic est in aliis. Vel potest dici quod satis determinat de relativis per accidens iuxta relativa per se.

Item, intellige hic quod convertentia est expre- <M 28rb> -sio habitudinis; convertibilitas est
30 aequipollentia in incomplexis et complexis; conversio autem est variatio situs in partibus principalibus “Conversio” autem communiter sumendo nominat omnia haec; est enim quaedam conversio transmutatio praedicati in subiectum; quaedam autem transmutatio affirmationis in negationem et universaliter convertibilium, ut si homo est risibile, est et econverso; quaedam enim est secundum habitudinem casualem, ut “pater filii”, “pater et filius”, “patris filius”, et de hac est hic sermo. Et sic
35 patet primum proprium.

Sequitur quaerere de secundo proprio, et in primis quaeratur quare non dat passionem aliquam in his quae dicuntur ad aliquid in comparatione ad essentiam sicut prius quantitatis et consequenter qualitatis.

5 Et causa huius est quia ratio aliqua possibilis fuit fundari supra quantitatem et qualitatem, et in comparatione ad illam determinabatur passio aliqua quantitatis et similiter qualitatis; non sic autem fuit possibile relationem fundare supra relationem, et ideo non fuit aliqua passio sic relationis.

Quaeritur postea de differentia horum priorum, cum sint coniuncta simul esse et se habere secundum convertentiam; dicetur enim inferius in parte de simul quia simul sunt quaecumque convertuntur secundum subsistendi consequentiam.

10 Sed differunt quia convertentia quae se habet sicut passio eorum quae sunt ad aliquid est secundum casualem habitudinem, sicut dicitur “filius patris filius” et convertitur; convertibilitas autem sive conversio quae est coniuncta cum simul esse natura est convertibilitas secundum esse et non esse hoc modo, “Si pater est, filius est” et e converso, et si non erit, non est e converso. Unde “simul natura” dicitur hic ut simul natura dicitur esse ab Augustino, simul esse secundum ortum et occasum; haec enim posita se, ponunt, destructa se, destruunt.

Sequitur postea qualiter relativa sunt simul natura, et quia “prius” et “posterius” sunt dicta ad aliquid, accidit prius et posterius secundum quod huiusmodi simul esse natura. Et similis est dubitatio de parte et toto, de causa et causato, potentia et actu, cum haec omnia sint dicta ad aliquid.

20 Ad haec ergo dicimus quod prius, sub ratione illa qua est prius, est simul cum eo quod est posterius, sub ratione illa qua est posterius; id tamen cui accidit prioritas est prius eo cui accidit posterioritas et non simul. Similiter autem intellige et in aliis.

Sed praeter hoc: si relativa in quantum relativa sunt simul natura, et in quantum relativa sunt opposita, accidit opposita simul esse natura; scimus enim quod unum oppositorum est magis causa ut interimatur suum oppositum quam ut ponatur inesse.

25 Sed istud solvitur per hoc quod eo modo quo opposita sunt relata ad subiectum unum et idem non sunt simul natura, sed ex positione unius in alio, sequitur remotio alterius ab eodem hoc modo, “Si hoc est pater, non est filius”, et e converso; in quantum autem non referuntur ad subiectum idem sed in seipsis considerantur, sic natura simul sunt hoc modo, “Si pater est, filius est”, et e converso.

30 Sequitur postea de scientia et scibile, et quia scibile determinat potentiam passivam respectu alius actus, omnino a potentia ad actum dicitur secundum viam relationis, ut habetur in *IX^o Metaphysicae*, videbitur scibile omnino ad aliquid se habere.

Et praeter hoc: cum scibile ad scientiam <M 28va> dicatur secundum viam relationis, ponemus relationem <P 55vb> aliquam esse ex parte scibilis; non est autem ratio terminata in uno extremo sed in duobus, et necesse est tunc ponere aliquod alterum ad quod terminetur sua ratio, et 35 hoc non potest esse nisi scientia: posito ergo scibili, necesse est ponere scientiam inesse.

Primum solvitur per hoc quod non accidit speciem esse ad aliquid, quamvis genus ad aliquid dicatur, sicut se habet disciplina et grammatica: et ideo non est necesse scibile ad aliud se habere, quamvis potentia ad aliquid se habeat.

5 Ad postea quaesitum: solvitur per hoc quod non dicitur omnino ad aliquid scibile; quod enim dicitur ad aliquid debetur omnino scientiae et non naturae ipsius, sicut intendit Aristoteles in *V^o Metaphysicae*.

10 Scibile ergo dicitur dupliciter, scilicet potentia scibile et actu scitum, et sic se habet omnino ad scientiam; vel potentia scibile et non actu scitum, et sic non se habet: et ita, si ponatur scibile inesse ut actu est, necesse est scientiam ponere inesse aliquo. Nequaquam sunt igitur instantiae apparentes ut hic intendit Aristoteles. Nec obstat etiam quod Porphyrius solvit eas, quia quaedam dicuntur ad aliquid et quaedam sunt ad aliquid, dicens quod hoc proprium inest omnibus quae sunt ad aliquid, non omnibus quae dicuntur; hoc enim intendebat Aristoteles. Iuxta ergo scientiam et scibile pateat de sensu et sensibile. Et sic patet de his propriis.

LECTIO 12

Habet autem dubitationem, etc. (7, 8a13) Haec est pars quae manifestat relativum sive ad aliquid dicta secundum viam dubitationis, et dividitur in duas: in prima dubitat; in secunda, ut ibi: *Si igitur eorum*, etc. (7, 8a28-29), dubitationem dissolvit. Et patet quod sufficiunt, quia prior est bona obiectio sua solutione.

In prima ergo harum sic procedit: primo proponit problema quod intendit; secundo disputat ad illud. Et secundum hoc dividatur in duas; et patet sufficientia et ordo. Proponit ergo cum dicit, *Habet autem*, etc. (7, 8a13), et est an aliqua substantia dicatur ad aliquid, an nulla; et incipit disputare cum dicit, *Non enim in primis*, etc. (7, 8a15), et cum disputat, primo disputat ad partem negativam, ostendens quod nulla, secundo ad affirmativam, ostendens quod aliqua, et secundum hoc dividitur in duas, et incipit secunda ibi: *in aliquibus vero*, etc. (7, 8a25) Et patet sufficientia; et primo exequitur de illa parte quae plus habet de veritate, cum nulla vera dicatur ad aliquid, et per hoc patet ordo.

Ponit ergo persuasionem ad partem negativam via inductionis. Inductio talis est: nec substantia prima, sive significat de toto, sive de parte, dicitur ad aliquid; similiter nec secunda; ergo, nulla. Solum dat inducentia, et manifestat primo primum, secundo secundum, ut patet ex littera. Ad partem ergo affirmativam ponit persuasionem via enthymematica sic: substantiae secundae significantes de parte dicuntur ad aliquid; ergo, aliquae. Dat maiorem et manifestat, et patet littera inspecta. Et terminatur totalis pars in qua dubitat.

Et sequitur pars in qua dubitationem dissolvit, et dividitur in duas: in prima dat solutionem; in secunda, ut ibi: *Caput vero et manus* (7, 8b15), applicat eam ad dubitationem. Et patet quod sufficientiant et recte ordinantur.

Et prima <M 28vb> harum adhuc in duas: in prima dat solutionem in universali sive in generali; in secunda, ut ibi: *Ex his ergo*, etc. (7, 8a35-36), magis in speciali; nec est pluribus modis, et patet ordo.

Prima adhuc in duas: in prima reprehendit primam definitionem et corrigit; in secunda removet dubium, *Proir quidem definitio*. (7, 8a33) Prima in duas: in prima reprehendit; in secunda corrigit, ibi: *si autem non sufficienter*. (7. 8a31)

Circa illam partem in qua removet dubium sic procedit: quia dixerit iam quod definitio relativorum superius data erat inconveniens, dubitaret aliquis utrum illa definitio conveniret aliquibus relativis, quam dubitationem removet, dicens quod illa definitio omnibus relativis convenit. In prima ergo harum sic procedit per viam narrationis, unde non dividitur: dicit ergo quod si praeassignata definitio erit solvere, quod nulla substantia dicatur ad aliud, et si non sufficienter, sed sint ad aliquid quibus hoc ipsum esse est ad aliquid quodammodo se habere, idest cognitione definitiva, tunc erit possibile. Prior enim definitio convenit omnibus relativis, sive id quod sunt sint ad aliquid, sive per

aliquid additum suae essentiae, scilicet sive secundum modum et secundum dictionem, sive secundum esse: unde sic poterit convenire aliquibus substantiis, et sic erit impossibile solvere. Et sic solvit in generali.

Et incipit ergo tunc magis solvere in speciali, inferendo quamdam conclusionem quae sequitur
5 ex dictis in parte quae praecessit et illam manifestando, quamvis pateat ex prius habitis, et secundum hoc dividatur pars illa in duas penes conclusionem et illius manifestationem; et magis sufficientiant ambae, et recte ordinantur, et incipit secunda pars ibi: *Palam*, etc. (7, 8a37) Conclusio ergo est ista quod si quis sciat unum <P 56ra> relativorum, cognitione definitiva sciturus est et reliquum; quae sequitur ex dictis in parte quae praecessit sic: si ad aliquid sunt quibus hoc ipsum esse
10 est ad aliud cognitione definitiva se habere, *Ex his ergo manifestum quod, si quis*, etc. (7, 8a35-36) Hanc ergo manifestat, et primo per naturam consequentiae, secundo, ut ibi: *Sed in singulis* (7, 8b3), inductive, et secundum hoc dividatur pars, si placet. Et satis sufficienter manifestat; nec est curandum de ordine. Per naturam ergo consequentiae sic: ut si quis novit cognitione definitiva quiddam
15 quod ad aliquid est, et esse ad aliquid est ad aliud cognitione definitiva se habere et illud ad quod dicitur, tunc cognitione definitiva. Primo ergo dat plane istam rationem in littera; secundo declarat consequentiam cum dicit, *si enim non novit*. (7, 8b2) Et est declaratio consequentiae quod ex opposito consequentis infert oppositum antecedentis, ut patet ex littera, et sic patet consequentia. Inductione ergo manifestat inducendo in duplum et melius, et similiter intelligendo esse in omnibus, concludendo quod intendit cum dicit, *quapropter palam*, etc. (7, 8b13) Et plana est littera. Et sic
20 terminatur pars quae dat solutionem.

Et sequitur pars quae ipsam applicat ad dubitationem, et ostendit ex iam dictis unicam solam conclusionem, et est quod nulla substantia dicitur ad aliquid, quia nec <M 29ra> secunda significans de parte, et sic patet quod applicat ad dubitationem; nec dividitur ergo sed unicam solam intendit ratiocinationem, quae est ista: si quis sciat unum relativorum definite, et reliquum novit; sed
25 de secundis substantiis significantibus de partibus est scire hoc ipsum quod sunt, non tamen ad quod sunt; ergo non sunt ad aliquid; et non hae, ergo nulla substantia. In hac ergo sic procedit: supposita conclusione prius demonstrata pro maiori, dat minorem in sua probante cum dicit, *Caput*, etc. (7, 8b15); et conclusionem cum dicit, *quare*, etc. (7, 8b19); concludendo ulterius cum dicit, *si vero*, etc. (7, 8b20), ut habeatur principalis intentio; his adiungendo cum dicit, *Fortasse autem*, etc. (7,
30 8b21), quod difficile est de his pertractare, et quod dubitare de singulis non erit inutile, secundum quod habetur in principio *Topicorum*, “potentes ad utramque dubitare de facili speculabimur quid verum quid falsum in unoquoque”.

Est ergo solutio in generali quod secundum dicere aliqua substantiae sunt ad aliquid, secundum quod significavit prima definitio; solutio in speciali quod secundum esse non, secundum quod

significavit posterior definitio. Et sic patet quod posterior pars solvit in speciali et prior in generali. Et terminatur haec totalis pars de ad aliquid. Patet sufficientia, ratio ordinis et continentia partium.

5 Primum dubitabile est propter quid dubitat de eo quod non est ad aliquid utrum sit ad aliquid et non dubitavit prius de eo quod non est substantia utrum sit substantia, et de eo quod non est quantitas utrum sit quantitas.

Ad cuius manifestationem quaeratur alia quaestio, propter quid intendit de eo quod est ad aliquid secundum duas definitiones, quarum una est universalis, reliqua propria, non similiter autem intendebat de substantia et de quantitate.

10 Et solvitur per hoc quod relationes fundantur supra habitudines duas: quarum una sumpta est ex parte rerum, et secundum illam datur definitio propria; alia autem est sumpta ex parte sermonis, secundum quam datur definitio prima, quae excedit ad aliquid se habentia, et non ita erat ex parte substantiae vel quantitatis.

15 Et per hoc solvitur primo quaesitum, quia ex definitione quae excedit esse relativorum possibile est apparere aliquid esse relativum quod non sit; non sic autem fuit possibile ex parte substantiae vel quantitatis, cum non sit aliqua ratio earum universalis.

Et sequitur propter quid magis dubitat de substantiis utrum sint ad aliquid quam de quantitibus vel de qualitibus, quae magis appropinquant naturae relationis.

20 Et solvitur per hoc quod in genere substantiae est habitudo similis ei quae est ad aliquid se habentium, verbi gratia partis integralis ad totum integrale; pars enim integralis videbatur ad aliquid se habere eo quod non habet esse et speciem nisi ut est in toto existens. In quantitate autem non fuit habitudo similis; pars enim quantitatis, per se ens, habet speciem et esse et quantitatis; pars enim lineae quaelibet divisa est linea. In quantitate etiam non erant istae duae, pars et totum, nisi secundum accidens, et similiter de aliis.

25 Postea sequitur propter quid nullo modo substantia prima dicitur ad aliquid, scilicet neque ista quae significat de toto, neque de parte.

Et hoc debetur modo significandi et <P 56rb> et accidentibus; non enim est grammatice dictum quaedam manus, “alicuius quaedam manus”, sicut manus, “alicuius manus”. Intellige tamen quod prima sub ratione qua est prima se habet ad aliud, secundam sub ratione qua est secunda, et sic sub his rationibus sunt ad aliquid prima et secunda; non tamen id quod sunt, et hoc intendit auctor.

30 Sequitur postea propter quid substantia secunda quae significat de toto nullo modo dicitur ad aliquid sicut quae significat de parte.

Et solvitur per hoc quod totum ut est totum est ens completum, et ideo non dependet ab altero; pars autem ut est pars habet esse diminutum et dependet ab altero: quapropter non potest sic se habere substantia quae est totum sicut substantia quae est pars, unde nullo modo est ad aliquid.

Sequitur si substantia quae est pars sit <M 29rb> ad aliquid secundum veritatem, et videtur quod sic: si enim sunt ad aliquid quibus hoc ipsum esse est ad aliud se habere, et sic se habet substantia quae est pars secundum id quod est, accidit substantiam quae est pars secundum veritatem esse ad aliquid; dicit enim Aristoteles quod oculus erutus non est oculus nisi sicut lapideus et depictus, ex quo sequitur quod forma et species non inest parti nisi ut est in toto, et illa pars omnino secundum sui esse ad aliud se habet.

Sed solvitur per hoc quod non se habet ad aliud quodammodo, idest cognitione definitiva; est enim scire quid sit oculus, non sciendo cuius, ut dicitur in littera.

Item, intellige quod “ad aliquid” dicitur tripliciter: est enim ad aliquid ut ad finem, ut oculus ad videndum, et sic multae substantiae sunt ad aliquid, sicut patet per Aristotelem in *VI° Topicorum*; dicitur etiam “ad aliquid” ut materia dicitur “ad aliquid”, quia non se habet indifferenter ad omnem formam, secundum quod dicit Aristoteles quod in alia specie est alia ratio materiae; et dicitur etiam “ad aliquid” cuius esse est ad aliud quodammodo se habere, et sic sumitur hic, et sic nulla substantia est ad aliquid.

Sequitur quaerere qualiter definitio unius relativorum significat de altero; sic enim accidit utrumque relativorum esse prius et posterius, et notius et ignotius, cum omne definiens sit notius et prius definibili.

Item, accidit quod definitio sit circularis, et nulla est talis, sicut nec demonstratio.

Item, ostensive sic: omne definiens est pars essentiae vel tota essentia definiti; unde eorum quae dicuntur ad aliquid non sic se habet unum respectu alterius, cum se habeant sicut species oppositae unius generis; ergo nullum erit definiens respectu alterius.

Item, omne definiens prius est definibili; nullum eorum quae sunt ad aliquid est prius altero, cum sint simul natura, ergo nullum erit definiens respectu alterius.

Istud totum solvitur per hoc quod alius et alius modus definitionis est in his quae sunt ad aliquid et in his quae sunt simplicis naturae et absolutae essentiae. In his enim quae sunt ad aliquid non est aliquid in definitione quod sit tota essentia vel pars essentiae, in aliis autem est necesse, et hoc significatur in *IX° Metaphysicae* ubi est sermo de potentia et actu. Quamvis autem non sit pars essentiae aliquid quod ponitur in definitione eius quod est ad aliquid, ad ipsum tamen terminatur essentia definibilis, ita quod definitio habeat essentialem comparisonem ad ipsum, et ideo non est accidentale respectu definibilis. Definitio igitur unius relativorum significat de altero, et causam tangit Aristoteles in *IX°* quia definitio debet esse sermo aequalis significationi nominis. Quomodo ergo se habebit definitio nominis? Si ergo nomen fuerit ad aliquid, definitio ipsius sic se habebit.

Item, intellige quod cum definitur unum per alterum, non accipitur alterum in definitione ut est praedicabile, ut dicatur “Hoc est hoc”, sed per modum obliquitatis, ut dicatur quod “Hoc est huius” vel alio modo. Quod autem ingreditur definitionem secundum hunc modum, non necesse est quod

sit prius, neque notius, neque pars essentiae, neque tota essentia, sed ad quod terminatur esse vel essentia. Patet etiam quod prohibetur circulatio, cum non dicatur “Hoc est hoc”, sed “huius” et per modum obliquitatis - ut iam diximus.

Et haec de ad aliquid sufficiant.

LECTIO 13

Qualitatem vero, etc. (8, 8b25) Haec est pars de dicibili quod est qualitas, et dividitur in duas tamquam in partem principalem et partem ex abundantia, et incipit secunda pars ibi: *At vero non decet conturbari*, etc. (8, 11a20) Et prima pertinet ad esse, secunda ad bene esse; et per hoc patet
5 sufficientia et ordo.

Prima autem <P 56va> harum dividitur in duas: in prima manifestat qualitatem penes sua substantialia; in secunda, ut ibi: *Inest autem contrarietas*, etc. (8, 10b12), penes sua accidentalialia. Et patet sufficientia et ratio ordinis ex saepe dictis.

Prima autem harum adhuc in duas: prima est de qualitate; secunda, ut ibi: *qualia vero*, etc. (8,
10 10a27), <M 29va> de quali. Et de harum sufficientia et ordine erit sermo posterius.

Prima quidem harum adhuc in duas: in prima manifestat qualitatem definitive; in secunda, ut ibi: *Est autem qualitas* (8, 8b25-26), divisive, et sic de ordinabilibus in genere qualitatis. Et patet harum sufficientia et ordo ex saepe dictis.

Prima quidem harum non dividitur, sed continet definitionem qualitatis quae est una, et ideo
15 pars una indivisibilis; et est per nobis notiora, et solvit quaestionem hanc, quid est qualitas, cum dicit, *Qualitatem autem*, etc. (8, 8b25) Et patet littera.

Sed secunda dividitur, et hic in duas: in prima est sermo de his quae continentur sub divisione qualitatis; in secunda, ut ibi: *Rarum vero*, etc. (8, 10a16-17), est de his quae removentur a divisione qualitatis. Nec est pluribus modis manifestare; et patet ordo.

Prima quidem harum adhuc in duas: in prima determinat hanc quaestionem, an qualitas dicam
20 simpliciter, et hanc determinat in partem negativam cum dicit, *Est autem qualitas*, etc. (8, 8b25-26), ut patet ex littera, et intelligatur *multipliciter* (8, 8b26) quia multas habet species, non quia aequivoce; in secunda, ut ibi: *Et una quidem*, etc. (8, 8b26), determinat quae sint species qualitatis, et per consequens quot. Et non sufficeret prima sine secunda; et recte ordinantur, quia quaestio, an sit,
25 est omnium quaestionum prima.

Prima ergo harum non dividitur, sed secunda dividitur in IIII penes quattuor quaestiones quas determinat, quarum prima est quae sit prima species, secunda quae sit secunda, tertia quae sit tertia, quarta quae sit quarta. Et secundum hoc sunt quattuor partes, de quarum sufficientia et ordine patebit inferius, et incipit secunda ibi: *Aliud genus*, etc. (8, 9a14), tertia ut ibi: *Tertia species*, etc. (8,
30 9a28), quarta ut ibi: *Quartum vero genus*, etc. (10a11)

Et prima harum adhuc in duas: in prima dat primam speciem cum dicit, *Et una*, etc. (8, 8b26); in secunda, ut ibi: *Differt autem*, etc. (8, 8b27), exequitur de prima et determinat de ipsa. Et prima harum non dividitur; et plana est contentio littera inspecta; et patet sufficientia et ordo harum ex saepe dictis.

Secunda quidem harum unicam determinat quaestionem, hanc, scilicet, quid differt dispositio ab habitu, et hanc determinat per demonstrationem duarum conclusionum: quarum prima est quod habitus est permanentior dispositione; secunda est quod habitus sunt dispositiones et non econverso. Et secundum hoc dividatur in duas: in prima demonstrat primam; in secunda, ut ibi: *Sunt autem* 5 *habitus*, etc. (8, 9a10), demonstrat secundam. Et quamvis sufficeret prima sine secunda, magis tamen sufficiunt ambae; nec est multa vis in ordine, praeordinatur tamen quae magis confert ad propositum.

In parte ergo prima sic procedit: primo dat conclusionem quam intendit cum dicit, *Differt autem*, (8, 8b27); secundo illam ostendit cum dicit, *tales vero*, etc. (8, 8b27); conclusio patet. Cum 10 ergo ostendit eam, primo ostendit eam per exempla, ut in virtute et scientia quae sunt habitus difficile mobiles, et caliditate et frigiditate quae sunt dispositiones facile mobiles vel affectiones; quae enim est affectio ex parte corporis est dispositio ex parte animae, et econverso, et habitudo ex parte corporis, habitus ex parte animae, et econverso. Et plana est littera.

Secundo, demonstrat, ut ibi: *afficitur autem*, etc. (8, 8b37). Intendit enim extrahere definitio- 15 nes habitus et dispositionis a demonstratione, et primo dispositionis cum dicit, *afficitur autem*, etc. (8, 8b37), secundo habitus cum dicit, *Manifestum est autem*, etc. (8, 9a4), ex quibus quidem habitus, patebit satis prior conclusio. Prior ergo demonstrationum est haec: circa quascumque qualitates disponitur et afficitur homo <M 29vb20> et cito permutatur sunt dispositiones; sed calor et frigiditas, etc. sunt huiusmodi; ergo sunt dispositiones. Ex qua extrahitur definitio dispositionis quae ta- 20 lis est: dispositio est qualitas de facili mobilis, vel dispositio est ad aliquam rem mobilem applicatio. Huius autem solum ponit minorem cum sua declaratione, et est minor quod dicit, *afficitur enim*, etc. (8, 8b37), et additum ad declarationem est quod dicit, *nisi forte*. (8, 9a1)

Secunda demonstrationum est haec: multum retinentes dicuntur habere habitum; ergo habitus est immobilis dispositio. Huius primo dat conclusionem cum dicit, *Manifestum est autem*, etc. (8, 25 9a4), secundo ostendit praemissam cum dicit, *namque* <P 56vb> *in disciplinis*, etc. (8, 9a5-6), et hoc sic: non multum retinentes non dicuntur habere habitum; ergo per locum ab oppositis, multum retinentes dicuntur habere habitum. Huius solum dat maiorem cum dicit, *namque in disciplinis*. (8, 9a4) Et his sic demonstratis, infert conclusionem coniunctam ex his duabus, et est principalis cum dicit, *Quare differt*, etc. (8, 9a8) et sic terminatur pars quae demonstrat primam conclusionem.

Sequitur pars quae demonstrat aliam. In ista ergo parte sic procedit: primo dat conclusionem quam 30 intendit cum dicit, *Sunt autem*, etc. (8, 9a10); secundo illam ostendit cum dicit, *qui enim*, etc. (8, 9a11). Patet quidem tunc conclusio, sed quia eius sunt duae partes, primo ostendit primam cum dicit *qui enim*, etc. (8, 9a11), sic per locum a coniugatis: qui retinet habitum sunt dispositi; ergo habitus est dispositio. Et solum dat maiorem. Secundo secundam cum dicit, *qui autem sunt dispositi*, etc. (8, 35 9a12), et similiter per locum a coniugatis sic: dispositi non omnino retinent habitum; ergo non om-

nis dispositio est habitus. Et solum huius dat maiorem, ut patet in littera. Et terminatur pars quae est de prima specie.

Et sequitur pars quae est de secunda specie, et primo dat ipsam cum dicit, *Aliud vero genus*, etc. (8, 9a14); secundo determinat de ipsa cum dicit, *Non enim*, etc. (8, 9a16) Et unicam solam in hac parte determinat conclusionem principaliter vel quaestionem, et est quod aliud genus qualitatis sit hoc quam prius, quam primo proponit dando hanc speciem qualitatis cum dicit, *Aliud vero genus*, etc. (8, 9a14), secundo ostendit cum dicit, *Non enim*, etc. (8, 9a16), et hoc unica demonstratione quae talis est: nihil quod dicitur a naturali potentia vel impotentia dicitur tale eo quod sit dispositum; sed omnia qualia a secunda specie qualitatis dicuntur qualia secundum naturalem potentiam vel impotentiam; ergo nihil quod dicitur a secunda specie qualitatis dicitur tale eo quod sit dispositum; sed omnia qualia dicuntur a prima specie qualitatis qualia eo quod sic disposita sunt; ergo differunt qualia primae species et secundae; sed si concreta differant, et abstracta differunt; ergo aliud est hoc genus qualitatis quam prius. Huius solum dat maiorem cum dicit, *Non enim quoniam* (8, 9a16), et suam manifestationem cum dicit, *ut pugillatores*: primo ponit exemplum in rebus animatis; secundo in rebus inanimatis cum dicit, *Similiter* (8, 9a24). Et sic determinat hanc quaestionem principalem, an sit aliud genus quantitatis quam prius, et ex consequenti quae sunt in hoc genere. Et terminatur pars de secunda specie.

Et sequitur pars de tertia specie, et dividitur in vi partes per determinationes sex quaestionum in parte ista: quarum prima est quae sit tertia species qualitatis; secunda, quae sunt passiones et possibili- biles qualitates; tertia, an ista sint qualitates; quarta, quare dicantur “passibiles”; quinta, an similiter omnes dicantur “passibiles”; sexta, qualiter differant passiones et passibiles qualitates. In prima ergo parte determinat primam; <M 30ra> in secunda, ut ibi: *Sunt autem huiusmodi*, etc. (8, 9a29), determinat secundam; in tertia, ut ibi: *Et quoniam* (8, 9a31), tertiam; in quarta, ut ibi: *Passibiles vero* (8, 9a35-36), quartam; in quinta, ut ibi: *Albedo*, etc. (8, 9b9), quintam; in sexta, ut ibi: *Quaecumque igitur*, etc. (8, 9b19), sextam. Et sumatur sufficientia et ordo eo quod unaquaeque quaestionum dependet a determinatione alterius. Et tandem, his habitis, patet de tertia specie qualitatis.

Primam ergo quaestionem determinat per viam narrationis cum dicit, *Tertia species* (8, 9a28), et sic dat tertiam speciem, ut patet ex littera; secundam cum dicit, *Sunt autem huiusmodi*, etc. (8, 9a29), et hoc via exemplari, ut similiter patet ex littera; tertiam cum dicit, *Et quoniam* (8, 9a31-32), et hoc via demonstrationis. Primo ergo ponit conclusionem quam intendit cum dicit, *Et quoniam hae*, etc. (8, 9a31-32); secundo illam ostendit cum dicit, *quaecumque enim*, etc. (8, 9a32) Et est demonstratio talis: a quibuscumque substantia dicuntur “qualia” ipsa sunt qualitates; sed quaecumque susceperint passiones et passibiles qualitates dicuntur “qualia” secundum eas; ergo sunt qualitates. Solum ponit minorem cum sua declaratione exemplari, ut patet ex littera.

Et determinat tunc quartam quaestionem cum dicit, *Passibiles vero* (8, 9a35-36), et hoc via narrationis, dicens quod dicuntur “passibiles” non quia quae illa susceperint aliquid patiantur ab illis – super hoc exemplificans-- sed quia sunt perfectiva passionum secundum qualitates sensuum. Et sic notat quod sensibile perficit quodammodo sensum sicut intelligibile intellectum, et quod non quilibet sensus natus est ad quodlibet sensibile sed proprius sensus ad proprium sensibile, et hoc est quod subdit, *dulcedo secundum gustum et calor secundum tactum sunt effectiva passionum*. (8, 9b7-8)

Postea determinat quintam quaestionem cum dicit, *Albedo autem*, etc. (8, 9b9), et hoc via demonstrationis. Terminat ergo hanc quaestionem in partem negativam <P 57ra> dicens, *Albedo autem* (8, 9b9), et sic proponit conclusionem quam intendit. Deinde illam ostendit dicens, *sed quod hae ipsae* (8, 9b11), sic: omnes passibiles qualitates illatae a passionibus dissimiliter dicuntur ab his quae inferunt passiones; albedo et nigredo sunt huiusmodi; ergo dissimiliter dicuntur “passibiles” ab his quae inferunt passiones. Maior patet; minorem ponit cum dicit, *sed quod hae*, etc. (8, 9b11), et ostendit cum dicit, *Quoniam ergo*, etc. (8, 9b11-12), primo repetendo minorem, secundo ostendendo eam per demonstrationem sensibilem, et hoc in coloribus acquisitis et intra natis. Minor ergo est quod dicit, *Quoniam ergo*, etc. (8, 9b11-12); sensibilis demonstratio in acquisitis est quod dicit, *erubescens* (8, 9b13), intra natis, *quare si quis*, etc. (8, 9b14) Et plana est littera.

Et tunc terminat sextam quaestionem cum dicit, *Quaecumque*, etc. (8, 9b19), et dividitur pars ista in duas: in prima dat differentiam passionum et passibilium qualitatum ex parte corporis; in secunda, ut ibi: *Similiter autem*, etc. (8, 9b33), dat differentiam harum ex parte animae. Nec sunt pluribus modis, et magis proprie sunt ex parte corporis, et ideo patet sufficientia et ratio ordinis.

Prima quidem harum subdividitur in duas: in prima explanat primam partem differentiae; in secunda, ut ibi: *Quaecumque vero ex his* etc. (8, 9b28), secundam. Et patet sufficientia et ordo. In utraque parte unicam intendit conclusionem, quam primo proponit, secundo ostendit. Et primo ostendit hanc, *Quaecumque igitur talium casuum*, etc. (8, 9b19-20), et hanc <M 30rb> ostendit sic: quaecumque dispositiones inferuntur a passionibus difficile mobilibus vel innatis vel acquisitis dicuntur “passibiles qualitates”; sed omnes dispositiones illatae a passionibus difficile mobilibus inferuntur a passionibus difficile mobilibus vel innatis vel acquisitis; ergo quaecumque inferuntur a passionibus difficile mobilibus sunt passibiles qualitates. Minor patet; maior vero, cum habeat duas partes, primo probat primam partem cum dicit, *sive enim secundum* (8, 9b21-22), secundo secundam cum dicit, *sive propter aegritudinem*, etc. (8, 9b24), et utramque per definitionem qualitatis; nec ostendit nisi quod sint qualitates; satis enim patet ex praehabitis quod sint passibiles, cum inferantur a passionibus. Et tunc dat aliam conclusionem cum dicit, *Quaecumque*, etc. (8, 9b28), et illam ostendit, et hoc sic: quaecumque inferuntur a causis facile mobilibus aut sunt passibiles qualitates aut passiones; non sunt passibiles qualitates; ergo passiones. Maior patet; solum autem ostendit

minorem, quamvis pateat ex priori conclusione immediata, dicens, *non enim dicuntur*, etc. (8, 9b29), et declarat exemplariter. Et in hoc manifestatur haec sexta conclusio in passionibus et passibilibus qualitatibus ex parte corporis.

Et tunc manifestat eam in passionibus et passibilibus qualitatibus ex parte animae, dicens, *Similiter autem*, etc. (8, 9b33), et sic continuat se, et demonstrat in parte illa easdem conclusiones quas et prius et per easdem demonstrationes, et primam usque illuc, *Quaecumque vero ex his*, etc. (8, 10a6), et secundam tunc usque in finem huius tertiae partis de tertia specie. Et sic habet subdividi in duas sicut pars praecedens, et praedicto modo extrahuntur demonstrationes, et plana erit littera. Et terminatur pars quae est de tertia specie.

10 Et sequitur pars quae est de quarta specie qualitatis, et dividitur in duas penes duas quaestiones quas determinat, quarum prima est quae sunt in quarto genere qualitatis, secunda est an sint qualitates quae dicit esse in quarta specie vel in quarto genere qualitatis. In prima ergo determinat primam via narrationis, dicens, *Quartum vero genus*, etc. (8, 10a11), in secunda, ut ibi: *secundum enim*, etc. (8, 10a13-14), determinat secundam, et hoc via demonstrationis. Et haec sufficiant ad cognitionem quartae speciei, et patet quod recte ordinantur. Demonstratio ergo talis est: secundum quae “qualia”
15 dicuntur sunt qualitates; secundum unumquodque istorum “quale” quidem dicitur; ergo, etc. Solum ponit minorem cum sua declaratione cum dicit, *secundum enim*, etc. (8, 10a13-14) Et terminatur pars quae est de quarta specie et totalis pars quae est de his quae continentur sub divisione qualitatis.

20 Et sequitur pars quae est de his quae removentur a divisione qualitatis, et de his determinat duas quaestiones et secundum hoc sunt duae partes: in prima determinat primam; in secunda, ut ibi: *quandam enim*, etc. 88. 10a19), determinat secundam. Et est prima, an sint in genere qualitatis, et secunda, in quo genere sunt, quia prima quaestio terminatur in partem negativam. Et sic patet quod magis sufficiunt ambae et quod recte ordinantur. Prima ergo quaestionem terminat in partem negativam, et hoc via narrationis cum dicit, *Rarum vero et spissum* (8, 10a16-17), et via ratiocinationis
25 cum dicit, *quamdam enim*, etc. (8, 10a19), et illa etiam ratiocinatio est terminatio secundae quaestio- nis. Ratiocinatio igitur talis: nulla <P 57rb> positio est qualitas; rarum et densum sunt positio- nes; ergo non sunt qualitates. Minorem dat cum dicit, *quandam enim*, etc. (8, 10a19), et ostendit cum dicit, *spissum vero*, etc. (8, 10a20), et continet IIII partes, eo quod con- <M 30va> -tinet
30 IIII in subiecto, et quamlibet illarum probat per suas definitiones, ut patet ex littera; ubi etiam inci- piunt et terminentur planum est littera inspecta. Hoc habito, recapitulat quae dicta sunt de qualitate, ut ibi: *Sed fortasse*, etc. (8, 10a25) Et terminatur totalis pars quae est de qualitate.

Et sequitur pars in qua determinat de quali, et unicam intendit terminare conclusionem, hanc scilicet, quae sunt qualia. Istam ergo quaestionem primo terminat inducendo quae sunt qualia, se-
35 cundo suum dictum ostendendo, et secundum hoc sunt duae partes, et incipit secunda ibi: *ut a can-*

dore. etc. (8, 10a30), et non sufficeret prima sine secunda, et recte ordinantur. Pars ergo prima non dividitur, sed in ista dicit quod qualia sunt quae denominative dicuntur a qualitatibus vel quomodolibet aliter. Nec secunda dividitur, sed unica demonstratione suum dictum ostendit, et est talis: ab omni qualitate dicitur quale; et non ab omni fit denominatio sed sic et non; ergo qualia sunt aut denominative dicta aut quomodolibet aliter. In hac sic procedit: quia maior patet, non ponit eam, sed ostendit minorem; et quia duas habet partes, affirmativam et negativam, primo ostendit affirmativam, et hoc exemplariter usque ibi: *In aliquibus vero*, etc. (8, 10a32), ut patet ex littera; secundo negativam, et primo in his in quibus nomina non sunt posita usque ibi: *Aliquando autem*, etc. (8, 10b5), et postea in his quibus nomina sunt posita, ut patet in littera; et ultimo tunc ponit conclusionem, dicens, *Quare quaecumque*, etc. (8, 10b9 ?) Et sic terminatur haec totalis pars de quali et tota pars quae manifestat qualitatem penes sua substantialia. Patet continentia, ratio ordinis partium et sufficientia.

Primum dubitabile est an qualitas sit genus, et quia nihil communiter se habens ad substantiale et accidentale, ad ens in potentia, ad ens in actu, ad ens quo, ad ens simpliciter, est genus aliquod; et qualitas sic se habet: non ergo erit genus.

Sed istud solvitur per hoc quod qualitas quae est genus accidens est et non se habet communiter ad substantiale et accidentale, nec est hic sermo sic de qualitate sed in *V^o Metaphysicae*, ubi distinguitur quotiens singulum dicitur, et sic patet quod differenter.

Et praeter hoc: potentia in quantitate est aliquid ens actu relatam ad subiectum in quo radicitur, et dicitur “potentia” vel “impotentia” respectu actionis vel passionis quae egreditur ab ipsa vel refertur in ea.

Et praeter hoc: non intendit de qualitate quo, ut de dispositione vel huiusmodi, nisi prout est principium qualitatis simpliciter, ut habitus et huiusmodi, et sic fortiter pronomen qualitatis simpliciter; vel non intendit de huiusmodi nisi ut esse habeant iuxta qualitatem simpliciter, et sic per obliquitatem et non directe. Et sic patet primo quaesitum, quod possit esse genus.

Sequitur si possit esse unum genus, et quia unius generis est una causa; qualitatis autem non est una causa; ergo non erit qualitas genus unum. Cuiusdam enim principium est natura, cuiusdam autem voluntas; haec autem sunt esse differentes, nec reductae ad aliquam causam unam.

Sed istud solvitur per hoc quod differentia in causa efficiente non est causa differentiae in genere; quod autem diximus, naturam et voluntatem, etc., sic etiam determinamus differentia in causa efficiente tantum. Primum patet ex his quae dicit Aristoteles in *VII^o Metaphysicae*, possibile enim est unum et idem esse ex diversis principiis efficientibus, videlicet arte et natura, sicut se habet sanitas quae exit in esse secundum artem et naturam, et non sufficeret natura per se, et ideo additur ars naturam adiuvens, utens ea tamquam principio. Diversitas autem in forma prima est causa diversitatis in genere, et ideo quia qualitates, habentes naturam, principium primum, et volun-

tatem, principium coadiuvans, communicant in forma una prima, et communicant in genere uno, et sic manet qualitas genus unum et genus.

Et de ordine ipsius respectu praecedentis patet; respectu subsequenter se habet quod praecedit sicut causa effectuum: qualitas enim ex se gignit agere vel pati.

5 Sequitur de definitione qualitatis, et videtur increpanda, quia definitur per posterius, quia per quale.

Et solvitur per hoc quod quaedam descriptiones non possunt fieri per priora et notiora naturae sed nobis, et tales sunt maxime descriptiones generalissimorum, et hoc <P 57va> innuit Boethius plane; unde nec fit per nobis notiora, unde non explanat ipsam. Intendens ergo subiectum nobilissi-
10 mum et finem secundum sui optimum modum, dicit particulariter, *secundum quam quales dicimur* (8, 8b25), cum omnis qualitas et in nobis reperiatur, cum habeamus "esse cum lapidibus, vivere cum plantis, sentire cum animalibus, intelligere cum angelis".

Item, ex iam dictis in parte de quantitate patet quare non fuit conveniens definire quantitas sic, "Quantitas est secundum quam quanti dicimur", cum sit forma mathematica.

15 Sequitur de prima specie qualitatis quae est habitus dispositioque, et quoniam nulla species opposita est materialis respectu speciei oppositae, et dispositio sic se habet respectu habitus; et praeter hoc, nulla species opposita dat seipsam et suum nomen speciei oppositae secundum formam praedicationis, et dispositio sic se habet respectu habitus: non ergo erit dispositio opposita habitui.

Quoniam autem uni unum opponitur; scimus autem quod privatio opponitur habitui: erit priva-
20 tio et nihil aliud se habens per oppositum contra habitum in genere qualitatis. Sed tunc remanet quaestio, cum privatio sit species opposita habitui, propter quid non dat intentionem privationis in parte ista.

Quoniam autem quodlibet genus rerum et quaelibet species ipsius est pars entis quod est actu et simpliciter ens; privatio autem non est pars entis quod est simpliciter ens et actu: non remanebit pars
25 vel species generis, et ob hoc nihil hic de privatione. Et procedunt omnes istae rationes.

Quaeratur ergo de dispositione et habitu qualiter sint una species et qualiter non dicuntur per intentionem simplicem sed complexam, cum unius una sit intentio et nomen unum.

Et praeter hoc: quia secundum qualitatem dicimur "quales" et secundum dispositionem non, dubitatur qualiter recipit intentionem qualitatis.

30 Sed istud totum solvitur per hoc quod non dicimur "quales" secundum eam simpliciter sed secundum tempus, nec est qualitas nisi quo; sed habitus est qualitas simpliciter, et habitus est perfectum in hac specie; dispositio autem quasi imperfectum. Perfectum autem et imperfectum in eadem specie sunt; sed quia nihil est commune ad quo et ad simpliciter, propter hoc non habent unum nomen; sed iuxta illud quod est simpliciter ens in genere qualitatis datur intentio eius quod est quo in
35 eodem genere, et sic se habet dispositio iuxta habitum.

Item, intellige hic habitum et dispositionem quodammodo alio differre quam genere vel specie vel numero, quia nec necesse est sed solum sic differunt <M 31ra> quae completam habent differentiam. Sed nota quod habitus et dispositio sic se habent sicut debile et forte; unde sicut forte non est debile multiplicatum, sic nec habitus dispositio multiplicata, sed magis dispositio firmata. Unde
5 habitus necesse est esse dispositiones; nec sequitur propter hoc quod “dispositio” sit commune nomen; haec enim praedicatio est materialis.

Sequitur postea de divisione habitus in scientiam et virtutem: quoniam autem quattuor sunt habitus, scilicet sensus, intellectus, scientia, opinio, quaeritur propter quid ponitur scientia esse species habitus, non autem aliquod aliorum.

10 Et solvitur per hoc quod dicitur “habitus” hic ille qui est acquisitus, secundum quod dicit Remigius quod omnis habitus in quantum habitus est acquisitus; sensus autem non est habitus acquisitus sed innatus; intellectus autem est quodammodo acquisitus, quodammodo innatus; scientia autem est habitus simpliciter acquisitus; opinio autem remanet dispositio respectu scientiae. Vel dicatur
15 quod scientia, opinio, etc., ut distinguuntur in libro *De anima* non sunt habitus acquisiti, sed sunt omnes virtutes innatae ex parte animae.

Quaeritur postea, cum scientiae opponatur ignorantia et virtuti vitium, propter quid non dicit ignorantiam esse speciem habitus vel vitium.

Sed hoc praesolvitur per hoc quod sunt privationes; non est autem conveniens dare privationes tanquam species in genere.

20 Et praeter hoc quaeritur, cum cuilibet habitui debeatur aliqua dispositio, propter quid non dat dispositiones quae debentur scientiae et virtuti.

Sed solvitur per hoc quod non intendit hic ex quibus relinquatur virtus vel scientia; dispositiones autem horum remanent ea ex quibus generantur virtus et scientia.

25 Sequitur de secunda specie qualitatis: quoniam autem potentia est prius eo quod est ens actu; species autem cuiuslibet generis est pars entis actu; dubitatur qualiter potentia remanet species alicuius generis.

Et est amplior dubitatio de impotentia, cum determinet privationem; privationes autem non sunt in genere, vel si sint in genere, secundum Aristotelem non sunt in eodem genere cum habitibus, aut non in eodem genere proximo.

30 Primum ergo solvitur per hoc quod potentia hic dicta, quae est qualitas, est actu ens relatam ad subiectum cuius est dispositio; dicitur autem “potentia” respectu actu vel passionis quae nascitur ab ea.

Et solvitur aliud per hoc quod impotentia hic non est privatio sola, sed dicitur “impotentia” hic potentia diminuta a potentia prima, secundum quod habetur in *V^o Metaphysicae*, potentia autem
35 completa et diminuta sunt in eodem genere.

Si obviatur ergo: quae sunt causae diversorum generum, ut actionis vel passionis, quae non communicant genus unum, nec ergo ad unum genus reducentur, dicendum quod hoc non cogit; non enim sequitur si causata genere differant quod causae, sed sicut diversitas in causa efficiente non fuit causa diversitatis in genere, similiter diversitas effectus in genere non causat diversitatem efficientis in genere.

Sed adhuc dubitatur: cum potentia et actus ad aliquid se habeant, ut patet in *IX^o Metaphysicae* qualiter ergo est potentia in hoc genere.

Sed intellige quod non est hic intentio de potentia sub ratione qua comparatur ad actum sed ut est dispositio subiecti habentis potentiam vel impotentiam, et respectu illius respicit intentionem qualitatis.

Sed adhuc quaeritur quare non dicit potentiam artis esse in genere qualitatis sicut potentiam naturae.

Sed intellige quod potentia quae est artis non differt ab habitu, cum sit potentia acquisita; potentia autem naturalis non est habitus. Et praeter hoc: potentia artis non habet impotentiam sibi contrariam sicut potentia naturae.

Sequitur postea, cum quaedam potentia sit materiae, quaedam efficientis, quaedam formae ut forma est efficiens, quaeritur utrum dicatur his potentia quae est materiae vel efficientis vel formae. Et quia potentia activa est a forma, potentia passiva a materia, dicitur “potentia” hic quae est materiae et quae est formae.

Sed contra hoc est quod potentia quae est materiae est prior subiecto constituto in esse, potentia autem quae est qualitas est posterior eodem; accidens enim omnino consequitur subiectum constitutum in esse.

Istud ergo solvitur per hoc quod potentia passiva consequitur subiectum completum in esse, debetur tamen materiae et radicatur in ea, sicut accidit de contrarietatibus quae fiunt in subiecto; radicantur tamen omnes in materia, secundum quod dicit Aristoteles in primo *De generatione* quod materia prima est maxime subiectum generationis et corruptionis, aliarum autem mutationum quodammodo.

Sequitur postea quare dicit, *Aliud genus* (8, 9a14), et non, “Alia species”, et, *naturalis potentia vel impotentia* (8, 9a16), disiungendo et non copulando.

Et causa huius est ut significet plus diversitatis, cum minus convenient quae genere convenient quam quae specie; naturalis autem potentia nullo modo est materialis respectu impotentiae, nec e converso sicut est de habitu et dispositione, et ideo etiam disiungendo; nec est unum nomen impositum, cum completo et diminuto nihil sit commune.

Postea sequitur de comparatione naturalis potentiae ad habitum et dispositionem, et quia secundum potentiam naturalem potentes sumus operari, et secundum habitum similiter, videtur definitio

naturalis potentiae convenire habitui. Apparet etiam convenire differentiae substantiali; rationale enim determinat substantiam respectu actus vel operationis.

Ad haec ergo dicendum quod secundum habitum potentes sumus operari secundum dispositionem aliquam adiectam, scilicet de facili et sine errore; secundum autem potentiam naturalem potentes sumus simpliciter agere et pati. Potentia autem differentiae substantialis non est potentia quae est accidens sed substantia.

Item, intellige quod haec species coartatur ad ea quae sumunt “potentiam” vel “impotentiam” in sui definitione, et hoc non accidit in aliis speciebus; dulcedo enim non recipit potentiam immutandi in sui definitione, nec color, nisi definiantur in comparatione ad sensum. Item, nec coartatur ad ea quae dicuntur secundum naturalem potentiam ad aliquid agendum, et non solum hoc sed etiam ad nihil patiendum, et hoc non accidit in aliis.

Sed adhuc dubitatur qualiter molle dicitur in potentia magis quam durum, <P 58ra>cum habeat potentiam citius secari, durum eiusdem impotentiam.

Sed tale posse est magis non posse quam posse, et e converso, sicut posse vinci est non posse.

Sed tunc quaeritur quare nulla sit mentio in *V^o Metaphysicae* de naturali potentia vel impotentia quod sit in genere qualitatis.

Et hoc est, ut dicit Commentator, quia naturalis potentia et impotentia magis sunt praeparationes et potentiae, ad minus quoad metaphysicum, quam qualitates actu. Unde in quantum sunt potentiae satis numeravit eas inter potentias capitulo de potentia, et eadem de causa non perscrutatus est de eis in *VII^o Physicorum*, utrum in eis sit alteratio; nec est alteratio proprie nisi in passibilibus qualitatibus, communiter tamen dicta in omnibus speciebus, ut alias habet determinari.

Sequitur de tertia specie qualitatis: quoniam autem nihil quod est genus primum est species alterius generis; et passio remanet genus primum; non ergo erit species qualitatis.

Istud solvitur per divisionem multiplicatis in eo quod est passio: dicitur autem uno modo secundum quam est alteratio, ut declaratur in *VII^o* quod secundum passiones et passibiles qualitates consistit alteratio proprie, et secundum hoc accipitur hic intentio passionis; dicitur etiam “passio” quod in naturam agit, ut morbus, et hoc modo dicitur poena vel tormentum “passio”, et sic non sumitur hic; dicitur etiam “effectus illatioque actionis”, et sic est genus primum ut in *VI principiiis*.

Sed adhuc quaeritur quare passibile qualitates, quaedam inferuntur a passionibus, quaedam inferunt passiones; inferre autem passiones et inferri ab eis differunt sicut agere et pati; agere autem et pati non communicant in genere: passibiles ergo qualitates quaedam cum aliis non communicabunt in genere.

Sed istud solvitur per hoc quod quamvis quaedam inferant, quaedam inferantur, omnes tamen conveniunt in hoc quod passionem generant in sensu, sed quaedam secundum magis et quaedam secundum minus: quae enim imprimunt intentionem solam in sensu, nihil autem rei, non dicuntur

inferre passionem; quae autem imprimunt non intentionem solam, sed aliquid rei, dicuntur passionem inferre sensui, ut se habent sensibilia sensu tactus vel gustus; sensibilia autem aliorum sensuum se habent modo priori.

5 Sed adhuc dubitatur: qualitatum enim passibilium, quaedam sunt activae, quaedam passivae – activae, calidum, frigidum; passivae, humidum, siccum -- activum autem et passivum non communicant in genere.

10 Et praeter hoc: unius generis est una contrarietas prima; frigidi autem et calidi est contrarietas una, erunt ergo generis unius, et humidi et sicci est alia contrarietas, ergo erunt alterius generis; non erunt ergo unius generis proximi, calidum et frigidum, siccum et humidum, et tamen sunt passibiles qualitates.

15 Et praeter hoc: ea quae dividunt genus unum omnino habent oppositionem; calidum, frigidum, humidum, siccum, non omnino habent oppositionem, sed quaedam ad quaedam et non ad alia; ergo haec non remanent dividenda aliquod genus unum. Quod autem inter haec non possit esse contrarietas modo dicto manifestum est, cum contrarietas sit completa distantia; unius autem ad plura non est completa distantia, sed unius ad unum tantum.

20 Istud totum solvitur per hoc quod qualitates activae et passivae non conveniant in aliquo genere proximo per rationes datas prius, sed propter comparisonem quam habent ad sensum secundum quam est eis operatio una, scilicet generare passionem in sensu, et ponuntur esse tanquam unius generis proximi. Quidam autem reducunt passivas ad activas et omnino contrarietatem passivam ad activam, ponentes contrarietatem passivam se habere secundum quid respectu contrarietatis activae.

Sequitur postea: cum sint contrarietates aliae praeter calidum et frigidum, scilicet humidum, siccum, et praeter haec, grave et leve, rarum et densum, asperum et lene, molle et durum, lubricum et aridum, quare non enumerat ista inter qualitates passibiles, cum inferunt passiones sensui tactui.

25 Sed istud solvitur per hoc quod inter qualitates tangibiles primae remanent calidum, frigidum, humidum, siccum; aliae autem sunt consequentes, et ab eis nascantur, cum posteriores <M 31vb> generentur ex primis, verbi gratia, durum, molle, et quia consequentes non sunt tangibiles nisi per primas, ideo sufficiebat dare qualitates primas; non dat tamen humidum, siccum, sed calidum, frigidum, quia impressio eorum est summe manifesta in sensu, impressio autem aliorum minus, et hoc quia istae sunt qualitates activae, aliae vero passivae. <P 58rb>

30 Sequitur postea de eo quod dicit, quasdam qualitates passibiles inferri a passionibus, quasdam inferre passiones sensui; omnia enim passibilia, secundum Aristotelem, inferant passionem sensui.

35 Sed istud pertractandi posset patere ex prius dictis: dicuntur enim inferre passionem sensibus quorum impressio est magis manifesta in sensu, sicut se habent ea quae non solum intentionem imprimunt sed rem; alia autem dicuntur non inferre passionem, quia passio relata ab eis est aliqua immutatio quae magis facta non abicit magis a subiecto, et hoc est quia solam speciem imprimunt et

nihil rei. Et haec est causa quare non enumerat inter passibiles qualitates sensibilia sensus auditus et olfactus, quia adhuc minus est manifesta eorum operatio in sensu; sunt tamen inertia specie, ut alias habet declarari.

5 Consequenter hic intellige quod quamvis passio et passibilis qualitas se habent hic ad invicem sicut habitus et dispositio in hoc quod est facile mobile et difficile, et sic in accidente quodam conveniunt, differunt tamen essentialiter, quia passibilis qualitas fit in subiecto secundum causam aliquam materialem et de natura habent esse; habitus autem et dispositiones a voluntate et ab acquisitione: sic ergo patet qualiter calor potest esse passibilis qualitas et habitus, et caetera, talia quae prius ponuntur in habitibus et dispositionibus et nunc in passionibus et passibilibus qualitatibus.

10 Item, intellige quod secundum passiones dicuntur “quales” non simpliciter sed secundum tempus, sicut praediximus de dispositione.

Item, sicut dispositione se habent respectu habituum, sic passiones respectu passibilium qualitatum, et sic ex ipsis fit species una sicut ex his, et ideo dicit, *Tertia species* (8, 9a28), et non “genus”, et copulando passiones et passibiles qualitates; nec possunt habere unum nomen causa prae-
15 habita, et omnino sunt consimiles oppositiones et consimiles solutiones hinc inde. Dicit etiam, *passibiles qualitates* (8, 9a28), per modum multitudinis propter multitudinem et multiplicationem specierum quae non reducuntur ad unum genus proximum.

Sequitur de quarta specie, et primo dubitatur super hoc quod dicit, *Quartum genus* (8, 10a11), cum prius dixerit primam “speciem” et tertiam similiter.

20 Ad quod notandum, sicut prius de secundo genere, ut significetur plus diversitatis; forma enim et figura, rectitudo et curvitas, sunt qualitates perfectae in suo genere, qualitates scilicet in quantitatibus; nec est una in potentia ad aliam, sicut dictum est de eis quae sunt in prima specie et tertia: ut hoc ergo significet non dicit “quarta species” sed “quartum genus” consimili modo quo diximus de secundo genere.

25 Consequenter quaeratur quae sit differentia inter formam et figuram, rectitudinem et curvitatem. De forma et figura dicitur quod differunt, quia forma est rei animatae, figura rei inanimatae.

Amplius, forma est consequens interiorem dispositionem partium, figura vero exteriorem.

Sed contra hoc est Porphyrius in capitulo de differentia cum dicit, “rebus enim, etc.” <M
32ra>

30 Dicimus ergo quod haec species qualitatis attenditur penes quantitatem, ut innuit Aristoteles in quinto *Metaphysicae*: unde forma, figura, rectitudo et curvitas nominantur “qualitates in quantitatibus”. Quantitas autem omnis circa quam qualitas attenditur aut est per modum lineae aut superficiei aut corporis, quia haec sunt quantitates per se mensurantes substantiam intra, non sic tempus et locus: quare erit omnis qualitas circa quantitatem aut lineae aut superficiei aut corpori respondens;
35 numero enim et orationi non, cum non habeant positionem, cum deficient a situ. Dicimus ergo for-

mam esse qualitatem circa corpus, scilicet quantitatem, et figuram circa superficiem. Et signum huius est quod dicimus formam caeli rotundam, figuram autem eius dicimus circularem, cum hoc sit circulare in figura quod est rotundum in corpore. Rectitudinem et curvitem quidem dicimus esse qualitates circa lineam; nec est his unum nomen impositum, cum his nihil sit commune. Et hoc est
5 quod dicit, *amplius autem ad haec* (8, 10a12), addens, *et si quid his est simile* (8, 10a13); et hoc dicit fortassis propter rectum secundum quod est passio anguli, cum suis oppositis, scilicet acuto et obtuso.

Dicit autem, *et circa aliquid constans figura* (8, 10a11-12), non propter hoc quod sic innuat quod huiusmodi sit qualitas circa quantitatem, sic enim <P 58va> diceret tunc de forma, sed dicit
10 hoc propter hoc quod corpus clauditur superficie. Ut ergo significet quod figura sit qualitas circa quantitatem superficiem et quod haec circumstet corpus, dicit, *circa aliquid*, etc. (8, 10a11-12) Et haec est causa, fortassis, quare dicit copulando; habent tamen multi libri “vel”. Omnia autem haec quae dicta sunt redeunt in unam speciem, ad hanc, scilicet, qualitas consequens quantitatem.

Ex iam dictis quidem potest patere qualiter sumitur hoc “forma”, aut substantialis aut accidenta-
15 lis, et quomodo differunt; nec dat differentiam sicut in aliis, sed breviter pertransit, et hoc est quia huiusmodi sunt qualitates in quantitibus; nec sunt qualitates rerum mobilium, sed sunt ante omnem motum. Unde nec in his est contrarietas, nec magis nec minus, ut postea ducetur, cum forma et figura non habeant alias essentias a quantitate subiecti; unde nec in his est alteratio, ut in *VII° Physicorum*, cum passio secundum quam alteratur est necessario aliud a quantitate subiecti quod al-
20 teratur.

Nec mirare aliquis quod figura sit qualitas et quod sit quantitas, cum possit considerari dupliciter, quia aut ut ipsa clausio lineae, aut linearum, et sic est qualitas in quantitate, vel ipsa superficies clausa, et sic est quantitas in qualitate.

Sequitur postea de aspero et leni, an sint qualitates. Et intendit auctor quod non, sed positiones.

25 Sed contra hoc est auctor *Sex principiorum* in capitulo de positione, dicens quod non sunt positiones, sed magis qualitates.

Ad haec igitur notandum quod secundum intentionem Aristotelis, per se et primo sunt positiones, ut ostendit in littera per suas rationes. Cum enim dico, “Asperum est cuius una pars supereminet, altera est depressior”, manifestum est quod sic tango ordinationem partium respectu loci et respectu totius; nihil aliud autem est positio quae est praedicamentum, ut patet supra capitulo de quantitate. Eodem autem <M 32rb> modo manifestum est in aliis. Sunt autem qualitates ex consequenti secundum intentionem Aristotelis; quia enim sic est ordinatio partium existentium in toto et in loco, propter aequalitatem et inaequalitatem partium, habent quamdam virtutem ut moveant sensum: unde ex consequenti dicuntur esse qualitates et tangibiles. IENE enim est quod suaviter movet sensum, asperum vero quod cum punitione. Secundum autem intentionem auctoris *Sex principiorum*,
35

omnino est econverso recte inspicienti litteram et intelligenti, et in hoc maxime patet quod ille non fuit Aristoteles. In hoc ergo est error quod posuit eas per prius qualitates, ex consequenti positiones, quasi essent aliquo modo positiones, et in hoc est maxime contrarius Aristoteli.

5 Eodem autem modo intelligendum est de raro et denso ut de aspero et leni. Et intellige quod dupliciter dicitur “ densum”, aut enim de partibus quantitatis, aut de partibus materiae, et similiter “rarum”; primo modo est hic sermo de raro et denso, secundo modo non. Et ex hoc intellige quod asperum et lene sunt qualitates consideratae iuxta superficiem, quia extrinsecum et in superficie, spissum autem et rarum circa corpus.

10 Sequitur quaerere de numero et ordine specierum qualitatis. Numerus ergo sic potest accipi simul cum ordine secundum quosdam; cum enim omnis qualitas sit in homine, ut praescripsimus, homo autem sit substantia corporea, potens sentire, animata, rationalis, secundum numerum et ordinem harum differentiarum erit numerus et ordo specierum qualitatis; ita quod incipiamus ab ultima differentia, cum sit maxime completiva, et secundum ipsam sit prima species qualitatis, ut virtus et scientia; et secundum secundam, hanc scilicet “animata”, sit secunda species; et secundum tertiam, 15 hanc scilicet “potens sentire”, sit tertia, et secundum ultimam, hanc scilicet “substantia corporea” sit quarta species. Et intellige totum quod dicitur via resolutionis, sic quarta et ultima; et patet numerus et ordo.

20 Alii autem accipiunt numerum iuxta numerum capitalium causarum, ita quod prima species respondeat causae finali, secunda causae efficienti, tertia formali, quarta materiali; et ordinant etiam has via resolutionis, quia primo finis movet moventem, et tunc movens movet materiam, finaliter tamen ut inducat formam, et forma igitur erit prior, et hoc est quia dat esse et quia etiam convenit cum aliis, quia multotiens coincidunt, materia autem non, ut in secundo *Physicorum*. Et sic etiam patet numerus et ordo.

25 Potest etiam sumi numerus et ordo iuxta intentionem Commentatoris super capitulum de qualitate in *V^o Metaphysicae* sic: omnis qualitas aut est circa motum et in re mobili, aut circa rem immobilem et in rebus quae praecedunt <P 58vb> naturam et motum; si autem sit ultimo modo, tunc est quarta species, qualitas scilicet consequens quantitatem; si autem fuerit primo modo, hoc est dupliciter, quia aut erit qualitas quae est principium motus, aut erit qualitas secundum quam est terminus motus; si ultimo modo, tunc erit tertia species, scilicet passibilis qualitas; si autem primo modo, 30 adhuc dupliciter, quia vel erit principium substantiae motus, et sic secunda species, scilicet naturalis potentia vel impotentia; vel dispositionis in motu, et sic erit <M 32va> prima species qualitatis, scilicet habitus dispositioque. Et cuilibet intelligenti planus erit ordo si consideret quod substantia motus est suum fieri; et sic patet tunc numerus et ordo. Isto etiam modo ultimo reducitur divisio qualitatis ad bimembrem divisionem, et est modus omnium potissimus.

Sequitur de quali. Et est prima dubitatio propter quid in parte ista de quali, et in parte de quantitate non de quanto.

Et solvitur per hoc quod non est denominatio secundum aliquam speciem quantitatis finitae nisi secundum numerum et species numeri; denominatur enim aliquid secundum species numeri, quia
5 dicitur “bicubitum” vel “tricubitum”; sed secundum alias species quantitatis non fit denominatio nisi infinitae, ut secundum lineam dicitur aliquid “lineatum”, et secundum superficiem aliquid “superficiatum”: et secundum quamlibet speciem qualitatis fit denominatio finitae, cum sit forma per impressionem habens essentialem comparisonem ad subiectum, non sic autem quantitas, cum sit forma mathematica ut saepe diximus.

10 Sed adhuc quaeritur quare multiplicatio qualitatis in substantia erit multiplicatio secundum materiam; talis autem multiplicatio vadit in infinitum: ergo si ars refutat infinitum, non erit conveniens in arte determinare de huiusmodi multiplicatione.

Et solvitur per hoc quod non intendit hic de multiplicatione qualitatis in omnes substantias sensibiles et singulares, sed ut in una, sic et in alia: et sic est haec multiplicatio finita.

15 Sequitur postea quare non dat species eius quod est quale sicut prius qualitatis.

Et dicendum quod satis determinat species eius quod est quale quantum oportet determinare; intendit enim quod quaedam dicuntur denominative ab habitibus, quaedam a passionibus et passibilibus qualitatibus, et haec differunt secundum speciem sicut habitus dispositioque et passio et passibilis qualitas.

20 Item, intellige hic quod prius de qualitate quam de quali, cum qualitas sit prior natura; qualitas enim, praeter relationem ad substantiam, est ex minoribus, eadem secundum quod est relata ad substantiam. Nec est circulo omnino si definiatur “qualitas” per quale, et e converso, cum una sit data per priora quoad nos, reliquum per priora simpliciter.

25 Sequitur utrum quale addat aliquam essentiam novam super qualitatem, et quia quale nihil aliud est quam qualitas relata ad substantiam, si adderet essentiam novam super qualitatem, reciperet esse substantiae aut quantitatis aut alicuius talium; et non est ita: relinquatur ergo quod non addit essentiam novam.

30 Et praeter hoc mobile inclinatum ad motum non addit essentiam super mobile simpliciter, neque grave inclinatum deorsum super grave: ergo qualitas relata ad substantiam, sive quale, non addit essentiam novam super qualitatem. Et procedunt istae rationes.

Sed contra hoc est quod operatio differens egreditur a virtute differenti; et differens est operatio qualitatis et eius quod est quale, quia secundum qualitatem fit denominationem, et non secundum quale; virtus autem consequitur essentiam: erit ergo essentia alia et alia qualitatis et qualis.

35 Sed solvitur per hoc quod non est operatio diversa qualitatis et qualis; fit enim denominatio secundum quale, quamvis alio modo quam secundum qualitatem.

Sed adhuc dubitatur, quia qualitas dicit, “quid”, et significat qualitatem; quale autem neque dicit, “quid”, neque significat quale: relinquitur ergo quod non erit essentia eadem qualitatis et qualis.

Sed solvitur per hoc quod dicere, “quid”, non est de essentia rei; unumquodque enim ens in genere, secundum quod in genere est, dicit, “quid”, non tamen significant omnia essentiam eandem:
5 propter hoc non oportet quod quale addat essentiam super qualitatem, quamvis qualitas <M 32vb> “quid” dicat, et quale non.

Sequitur quaerere quare non sunt nomina posita naturalibus potentiis vel impotentiis sicut sunt imposita habitibus et passionibus. Cuius ratio est quod illud cui fit impositio oportet esse manifestum intellectui, et non sunt naturales <P 59ra> potentiae vel impotentiae intellectui manifestae;
10 sunt enim praeparationes et privationes. Vel dicendum quod non est possibile assignare causam defectus aliam ab usu.

Sequitur quaerere quare a virtute non dicitur denominative “virtuosus”. Cuius ratio est quia “virtus” significat virtutem praeter multiplicationem, “virtuosus” cum multiplicatione. Non enim dicitur aliquis “virtuosus” nisi a virtute multiplicata. Cum “virtus” significet per modum unitatis et
15 praeter multiplicationem, non fuit possibile quod a virtute diceretur aliquis denominative “virtuosus”.

Sequitur: utrum in aliis generibus a qualitate posset esse denominatio. Et quia concretum denominatur ab abstracto, <et> in quibuscumque generibus potest esse concretum potest esse abstractum, et potest esse denominatio; sed hoc contingit in quolibet genere; ergo, etc.

20 Sed solvitur, quia nulla forma denominat nisi quae advenit subiecto postquam completum est in esse; et huiusmodi est solum forma accidentalis; fiet igitur tantum denominatio secundum formam accidentalem et non substantialem. Et hoc dictum est prius in parte de denominativis. Et haec ratio est solutio prioris.

Sequitur: si denominativa sint in genere, et quia diversitas in materia non facit diversitatem in
25 specie; et eadem forma significatur per hoc quod dico, “album” et “albedo”, et non est differentia nisi per relationem ad materiam et praeter relationem: erunt ergo eiusdem generis species.

Et hoc verum est, sed albedo simpliciter, et album quo.

LECTIO 14

Inest autem contrarietas, etc. (8, 10b12) In parte ista manifestat qualitatem penes sua accidentalia, et dividitur in duas: in prima dat proprietates quae insunt qualitati et aliis; in secunda, ut ibi: *similia*, etc. (8, 11a15), dat proprietatem quae sic inest qualitati ita quod nulli alii. Et patet harum
5 sufficientia et ordo iuxta consimilem divisionem in partibus praecedentibus.

Prima autem harum adhuc in duas penes duas proprietates: prima est de habere contrarium; secunda, ut ibi: *Suscipit*, etc. (8, 10b26), de suscipere magis et minus. Et harum similiter patet sufficientia et ordo ex praehabitis.

Prima dividitur in duas, in partem principalem et incidentalem; secunda ibi: *Amplius si ex contrariis*. (8, 10b17-18) Prima quidem harum dividitur in duas penes duas quaestiones quas determinat: quarum prima est an habere contraria insit qualitati, quam in prima determinat, et hoc in partem affirmativam via inductionis, primo in qualitatibus, postea in qualibus cum dedit conclusionem quam intendit, ut patet ex littera; secunda est an insit omni, quam determinat in parte secunda, et hoc in partem negativam cum dicit, *Non autem in omnibus*, etc. (8, 10b15-16), sic proponendo
10 conclusionem quam intendit, et illam ostendendo exemplariter, ut patet ex littera. Tertia est igitur cui insit primo contrarietas, quam determinat inertia, quia quod huic, cum dicit, *Amplius si ex contrariis* (8, 10b17-18), dando primo quamdam rationem, secundo ostendendo eam exemplariter, ut patet ex littera. Ex quo pertractanti potest patere tertia quaestio, scilicet quod contrarietas primo reperitur in genere qualitatis, et propter hoc determinatur hic haec quaestio, quae non determinatur in
15 aliis. Et ideo patet sufficientia, et ratio est manifesta. Et terminatur haec pars quae dat primum proprium sive primam passionem vel proprietatem.

Et sequitur pars quae dat secundam, scilicet suscipere magis et minus, et dividitur in duas penes duas quaestiones quas determinat: in prima determinat primam, scilicet an magis et minus sint in qualitate; in secunda secundam, scilicet an in omnibus, quae incipit ibi: *non autem omnia*, etc. (8,
25 10b29-30) Et patet harum sufficientia et ordo <M 33ra> in suo consimili in partibus praecedentibus.

In parte ergo prima unicam solam intendit conclusionem, quam primo proponit cum dicit, *Suscipit autem*, etc. (8, 10b26), secundo ostendit cum dicit, *album enim*, etc. (8, 10b27), sic: omne quod comparatur sibi et aliis suscipit magis et minus; sed qualitas est huiusmodi; ergo, etc. Solum
30 ostendit minorem, et hoc exemplariter, primo comparando alteri, secundo sibi ipsi vel eadem, ut patet ex littera.

Sequitur tunc pars secunda quae determinat aliam quaestionem, et in ista similiter unicam solam ostendit conclusionem, quam primo proponit cum dicit, *non autem omnia*, etc. (8, 10b29-30), secundo ostendit cum dicit, *iustitia namque*, etc. (8, 10b30), sic: quidem habitus et quaedam figurae
35 non recipiunt magis et minus; sed omnis habitus et omnis figura est qualitas; non ergo omnis quali-

tas recipit magis et minus. Minor huius patet; maior vero cum habeat duas partes, primo probat primam, et hoc per usum communiter loquentium et philosophice cum dicit, *iustitia*, etc. (8, 10b30), ut patet ex littera, secundo secundam cum dicit, *Triangulus* (8, 11a5), et est conclusio quae intenditur in hac demonstratione: de nullo existente circulo vel non circulo dicitur “circulus” magis et minus; sed omne quod est est circulus vel non circulus; ergo de nullo dicitur secundum magis et minus. Et eadem est demonstratio de omnibus figuris et formis, et eandem intendit. Minor patet; maior vero cum <P 59rb> habeat duas partes, primo probat primam. Probatio primae est hoc quod dicit, *quaecumque*, etc. (8, 11a7); probatio secundae est hoc quod dicit, *eorum vero*, etc. (8, 11a9), ut patet ex littera. Et sic manifestum est quod non inest omni qualitate suscipere magis et minus, et ex hac conclusione et ultima praecedentis partis immediate infert aliam conclusionem principalem, dicens, *Horum itaque*, etc. (8, 11a15) Et sic terminatur totalis pars quae dat consequentia communiter sive passiones quae insunt qualitati et aliis.

Et sequitur pars quae dat proprie proprium qualitatis; et primo dat illud cum dicit, *similia*, etc. (8, 11a15), et intendit quod secundum omnes sicut secundum solas; secundo ostendit hoc esse proprie proprium sic: quidquid inest omni et soli, inest ut proprium; dici “simile” vel “dissimile” inest omni qualitati et soli; ergo inest ut proprium. Maior patet; minor habet duas partes: primam supponit, secundam ostendit cum dicit, *simile autem*, etc. (8, 11a16-17), et tunc concludit, dicens, *Quare*, etc. (8, 11a18) Et terminatur totalis pars quae est vel dicitur pars principalis de qualitate. Patet contentia, ratio ordinis partium et sufficientia.

Primum dubitabile: utrum in qualitate sit contrarietas, et apparet primo quod non. Si enim esset contrarietas in qualitate, in qualitatibus primis esset contrarietas prima. In eis autem non est contrarietas secundum quod hoc est quaestio de contrarietate, quia contrarietas de qua hic est quaestio est oppositio formarum accidentalium circa subiectum idem completum in esse, et qualitates primae non sunt circa subiectum idem completum in esse sed tantum circa materiam eandem. Relinquitur ergo quod in eis non est contrarietas secundum quod hic est sermo de contrarietate: non igitur in qualitate erit contrarietas.

Ad quod dicendum quod in qualitatibus primis est prima contrarietas, et sunt circa subiectum idem; aut enim fiunt in complexionato, scilicet calidum, frigidum, humidum, siccum, et tunc fiunt circa subiectum completum in esse completionem ultima; aut non in complexionato, et tunc adhuc fiunt circa subiectum completum in esse sed non completionem ultima. Fit enim calidum in materia post rarefactionem in ea, et frigidum post condensationem; quod autem est rarefactum et condensatum corpus est. Et ex hoc manifestum est quod qualitates primae fiunt circa aliquid quod est in esse completum etsi non completionem ultima.

Sequitur quaerere utrum in qualitatibus primis sit contrarietas prima, et quia ca- <M 33rb> -
lidum est principium disgregationis et frigidum congregationis, cum principium principiato sit
prius, erit prior contrarietas calidi et frigidi quam rari et densi.

5 Et praeter hoc: quaecumque sunt activa et passiva sunt contraria; et istae qualitates, calidum,
frigidum, humidum, siccum, sunt qualitates activae et passivae per se, et alia non sunt activa vel
passiva nisi mediantibus istis; ergo in istis erit contrarietas prima. Et procedunt istae rationes.

Sed quia rarefactionem non sequitur caliditas et condensationem frigiditas, priora erunt rarefac-
tio et condensatio quam calidum et frigidum, et sic contrarietas in eis prior. Et procedit haec ratio
simul cum aliis.

10 Sed intellige quod in diverso genere: sunt enim calidum, frigidum, principia rarefactionis in ge-
nere causae efficientis; et rarum et densum sunt principia caliditatis et frigiditatis in genere causae
materialis.

15 Sequitur utrum calidum, frigidum, humidum, siccum, rarum, densum sunt priora quam grave,
leve, et quia calidum, frigidum, etc. ordinantur ad formam essentialem, et grave et leve ad formam
accidentalem, scilicet ad locum, cum forma essentialis sit prior accidentali, priora ergo erunt cali-
dum, frigidum, etc. quam grave et leve. Et haec ratio procedit.

Sed quia incessus cuiuslibet ad suum locum est incessus ad suam formam, sicut dicit Aristote-
les, erit prior ordinatio ad locum quam ad formam; et quia grave et leve ordinantur ad locum, erunt
haec priora quam calidum, frigidum, etc.

20 Sed istud solvitur per hoc quod incessus ad locum est incessus ad formam, quia ad multiplicacionem
formae vel ad conservationem, non ad acquisitionem, quia prius acquisita est. Sic igitur in
qualitatibus est contrarietas, et in primis prima.

25 Sequitur dubitatio de hoc quod dicit, scilicet quod *rubeo et pallido et huiusmodi coloribus nihil
est contrarium* (8, 10b16-17), et potest quaerere utrum medii ad extrema possit esse contrarietas a-
liqua. Et quia contrarietas est completa diversitas, et extremum ad medium non est completa diver-
sitas sed extremi ad extremum, extremi ad medium non erit contrarietas.

Sed quia alteratio est a contrario ad contrarium; <P 59va> est autem alteratio ab extremo ad
medium et e converso: extremi ad medium erit contrarietas aliqua.

30 Ad quod dicendum quod quia in edio est aliquid de utroque extremorum, si fiat medii in extre-
mum, non est alteratio quantum ad id quod communicat cum extremo in quo est alteratio sed
quantum ad id quod communicat cum altero extremo. Unde extremi ad medium non est contrarietas
per se.

Sed adhuc dubitatur, si mediis nihil sit contrarium, et virtus est medietas duarum malitiarum, i-
gitur virtuti nihil erit contrarium.

Ad quod dicendum quod virtus secundum substantiam est medietas duarum malitiarum, et sic neutri extremorum contrariatur; secundum tamen quod est perfectum et bonum est extremitas, et sic contrariatur. Et super hoc erit sermo posterius.

5 Post haec dubitatur de iustitia et iniustitia et de aliis quae sunt in prima specie qualiter habent contrarium, cum in illa non sit motus sed in tertia specie.

Sed, sicut ostendit Aristoteles in *VII^o Physicorum*, nec in prima specie, nec in aliis a tertia est proprie contrarietas, nec proprie alteratio, <M 33va> sed valde in extensu oportet sumere contrarietatem et alterationem in his: unde et sunt privative opposita.

10 Sequitur de magis et minus, et apparet quod nulla qualitas suscipit magis et minus, tum quia omnis qualitas est forma, forma autem in se est simplex, tum quia omnes species aequaliter participant suum genus, teste Porphyrio.

Sed contra est hoc quod dicit in littera et quod etiam dicitur alibi quod omnium e diverso dividendium idem genus, semper unum est per modum habitus, reliquum per modum privationis.

15 Ad haec ergo notandum quod qualitas quaedam suscipit magis et minus, et maxime qualitas in tertia specie, et plus et minus de eadem essentia, ut caliditas et albedo et huiusmodi, et plus et minus etiam de contrario. Quod ergo obicitur quod omnis forma est simplex, intellige hoc in comparatione ad compositum quod est hoc aliquid, quod est compositum ex essentia et ex individuante essentiam ut habet dici super illum sermonem, *Forma est compositioni contingens*, etc.

20 Quod autem obicitur quod omnes species aequaliter participant suum genus, hoc verum est considerando ut logicus, qui considerat rationes rerum et non essentias; loquendo tamen ut physicus vel metaphysicus, non est hoc verum. In quibusdam igitur qualitatibus intellige quod sit magis et minus, et non in omnibus; in passionibus enim et passibilibus qualitatibus, non autem in habitibus. Qualitates enim tertiae speciei sunt magis physicae et magis considerantur in motu, unde non consistunt in indivisibili sicut qualitates primae speciei, ut sunt sanitas et scientia et virtus: unde in his est
25 partibilitas et magis et minus, in illis non. In qualibus tamen ab omni specie praeterquam a quarto genere est magis et minus, et hoc fortassis est propter naturam recipientis et non recepti, cum huiusmodi qualitates sint aliquo modo formae per impressionem, non sic autem est de qualibus in quarto genere, cum sint qualitates rerum immobilium et ante motum, quia qualitates consequentes quantitates: unde nec in his etiam est contrarietas proprie, nec alteratio, ut supradiximus.

30 Dubitatur tamen de curvo qualiter non suscipiat magis et minus.

Sed intellige quod non suscipit magis et minus nisi secundum quod est in materia et concernit materiam.

Ponunt tamen aliqui quod nulla qualitas secundum se suscipit magis et minus sed quale: unde albedo non suscipit, sed album. Excipiunt tamen quale quarti generis; ponunt enim quod omnis
35 qualitas secundum se sit qualitas simplex et invariabilis, verumtamen propter diversam habitudinem

materiae in qua recipitur et eiusdem indeterminationem, ponunt quod varium et varium habet effectum, et sic reperiri secundum magis et minus: unde per se ipsum quale suscipit magis et minus, qualitas non. Et adducunt exemplum de luce, quae cum sit simplex et indivisibilis, secundum diversam tamen habitudinem materiae in qua recipitur secundum magis et minus.

5 Istud tamen non credimus esse verum, sed <P 59vb> differenter est de his quae sunt in prima specie et tertia, ut supra notavimus. Et Nicolaus vult hoc plane in suis *Quaestionibus*, quod una albedo magis habeat de essentia lucis quam alia. Ergo haec de magis et minus.

10 Sequitur de proprie proprio qualitatis, et est prima quaestio utrum omnis similitudo sit secundum qua- <M 33vb> -litem. Et quia essentia naturalis est similitudo generis ad speciem et speciei ad individua, secundum quod vult Porphyrius quod species sit tota similitudo, et haec similitudo non est secundum qualitatem, et apparet quod non omnis similitudo fit secundum qualitates.

Et dicendum quod immo, sed qualitas est duobus modis, scilicet essentialis et accidentalis, et similitudo generis ad speciem vel speciei ad individua est secundum qualitatem essentialem.

15 Sed iam quaeritur cum similitudo sit unitas in qualitate; est autem qualitas una numero, una specie, una genere, an sit similitudo secundum qualitatem quae est numero una et secundum qualitatem quae est genere una sicut est secundum qualitatem quae est species una.

20 Ad quod dicendum quod similitudo est diversorum unio in qualitate, et non potest esse qualitas numero una in diversis, eo quod qualitas et omnino accidens numeratur a numero subiectorum; non potest esse similitudo secundum qualitatem quae est numero una, neque secundum qualitatem quae est genere una, quia sic dicerentur omnino colorata similia; et hoc est quia unitas in qualitate quae est genere una, et non specie, est unitas quo.

Sequitur postea quaestio, cum aliqua sint aequalia secundum duas quantitates, videmus quod istae quantitates inter se sunt aequales, quare non dicuntur qualitates inter se similes secundum quas aliqua dicuntur similia.

25 Et dicendum quod hoc est quia quantitas dicitur “quanta”, et non qualitas “qualis”; non enim qualitas a seipsa vel ab aliqua sui parte est denominata vel qualificata sicut quantitas est quanta quantitate, quae non est alia a sua essentia: et ideo non dicitur qualitas “similis” vel “dissimilis” sed secundum quam aliquid dicitur “simile” vel “dissimile”.

30 Item, intellige hic quod qualitas de se et primo est denominans sicut quantitas est mensurans: unde secundum hoc accidit qualitati ut dicatur secundum ipsam “simile” vel “dissimile” sicut quantitati quod secundum ipsam “aequale” vel “inaequale”. Qualiter idem et diversum accidunt in quolibet genere prius diximus in capitulo de quantitate.

LECTIO 15

At vero non decet conturbari, etc. (8, 11a20) Haec est pars ex abundantia in qua removet quemdam errorem in quem possit aliquis incidere ex prius determinatis; posset enim aliquis incidere in istum errorem, scilicet in contradictoriam huius, *Diversorum generum* (3, 1b16), per hoc quod
5 multa quae dicebantur esse ad aliquid postea ponebantur in prima specie qualitatis. Ergo hoc removet in parte ista, et dividitur in duas: in prima dat rationem moventem nos in errorem; in secunda, ut ibi: *Paene autem* (8, 11a23), dat remedia quae remonent errorem. Et non sufficeret prima sine secunda; et recte ordinantur.

Et prima non dividitur, et plana est continentia littera inspecta cum dicit, *At vero*, etc. (8,
10 11a20), sed secunda dividitur in duas penes duo remedia: in prima dat primum; in secunda, ut ibi: *Amplius*, etc. (8, 11a37), dat secundum. Nec est multa vis in ordine; et sufficiunt.

In prima ergo parte removet istum errorem per hoc quod nihil prohibet aliquid esse quale per se et secundum suum genus ad aliquid. Et hoc est primum remedium. Primo ergo dicit hoc usque ibi: *nam cum disciplina* (8, 11a24-25); secundo ostendit hoc, et est ostensio sua <M 34ra> exemplaris
15 declaratio in scientia et in speciebus scientiae quae secundum genus dicuntur ad aliquid, secundum tamen se sunt qualitates, ut ostendit per definitionem qualitatis. Et plana est littera.

In secunda autem removet hoc per hoc quod nihil prohibet idem esse in diversis generibus per diversas rationes et maxime in ad aliquid; hoc enim est fundatum supra res aliorum generum. Et hoc est secundum remedium. Istud ergo dat cum dicit, *Amplius* (8, 11a37), et plana est littera. Et terminatur totalis pars de qualitate; patet sufficientia, ratio ordinis et partium continentia.
20

Primum dubitabile: apparet inconueniens esse quod genus ponatur in aliquo genere et species non in eodem, cum ut habetur in quarto *Topicorum*, necesse est genus et species esse in eadem divisione. Et iterum, in quocumque est species, et genus. Et iterum, *Diversorum generum*, etc. (3, 1b16)
25

Sed solvitur per hoc quod non contingit proprie genus et speciem esse in diversis generibus. Quiddam tamen contingit in genere ad aliquid quod non contingit in aliis, scilicet quod cum species non dicatur ad aliquid, genus tamen eius dicitur ad aliquid; nec est proprie in genere ad aliquid, quamvis dicatur ad aliquid. Accidit tamen <P 60ra> hoc in relativis quae quidem referuntur per modum mensurae et mensurati, eo quod istud quod est per modum mensurae specificatur per illud
30 ad quod est sicut specificatur scientia per scibile, secundum quod habetur in tertio *De anima* quod secantur scientiae sicut et res.

Sed iam dubitatur quare species non dicatur ad aliquid sicut genus in talibus; non enim dicitur “grammatica” ad aliquid nisi per scientiam, sed scientia.

Et causa est quia habet in se ad quod dicitur; dicitur enim scientia litterarum, et propter hoc non dicitur ad istud; sed de significatione eius quod est disciplina non est disciplinatum, et propter hoc ad hoc dicitur.

Sequitur qualiter idem possit esse in diversis generibus secundum esse differens.

5 Sed intellige quod non secundum esse accidentale sed magis formale, per modum quo motus possit esse in diversis generibus; idem enim motus secundum subiectum est actio et passio, differens tamen secundum formam, et sic est motus principium materiale actionis et passionis.

Item, intellige quod scientia dupliciter potest considerari sicut pictura, secundum quod supra notavimus; per se tamen, id quod est, qualitas est.

10 Et haec de qualitate sufficiant.

LECTIO 16

Recipit autem facere et pati, etc. (9, 11b1) in parte ista est sermo de vi praedicamentis sermo-
ne aggregato, scilicet de actione et passione et caeteris. Et patet ordo ad partem quae praecessit,
cum causa sit prior suo effectu, et ista sex causantur a quattuor quae praecesserunt: quia a naturali
5 potentia actio; a naturali impotentia passio; a tempore quando; ubi a loco; posito et habitus a rela-
tione, ut dicemus inferius.

Dividitur autem pars ista in duas: prima est de agere et pati; secunda, ut ibi: *dictum est autem*,
etc. (9, 11b10), de quattuor generibus residuis. Et patet ordo, cum actio et passio contingant sub-
stantiae medio modo, ex parte materiae passio, ex parte formae actio; quando autem et ubi contin-
10 gant substantiae extra, ex parte materiae ubi, ex parte formae quando; positio autem contingit sub-
stantiae medio modo ex parte coniuncti; habitus autem extra et similiter ex parte coniuncti.

In prima igitur harum duas determinat conclusiones, quas primo proponit cum dicit, *Recipit*,
etc. (9, 11b1), et est prima; et cum dicit, *et magis et minus* (9, 11b2), et est secunda; secundo o-
stendit, et primo primam cum dicit, *caelestis facere*, etc. (9, 11b2), secundo secundam, et pri-
15 mo repetendo ipsam cum dicit, *et magis et minus* (9, 11b4-5), et tunc ostendendo cum dicit, *caelestis
facere enim magis* (9, 11b5), et sunt harum ostensiones exemplares declarationes; nec oportuit deter-
minare an haec insunt ut propria, quia eius oppositum satis patet ex praedictis, quia insunt relativis
et qualitativis. Et terminatur pars prima.

In parte secunda breviter pertransit de quattuor generibus residuis, dicens quod nulla alia dicenda
20 sunt de his quam quae in principio dicta sunt, quia sic satis sunt manifesta, scilicet ex determinatio-
ne eorum ex quibus causantur, recolligens ea quae dicta sunt breviter, et tunc pertransit et finem
imponit dictis dicens, *De propositis itaque*, etc. (10, 11b15) Et terminatur haec totalis pars et pars
quae est de praedicamentis; et patet continentia, ratio ordinis partium et sufficientia.

Primum dubitabile: quare sermone aggregato de his sex agit, et non determinat naturam essen-
25 tialem istorum separatim sicut aliorum.

Cuius causa est quia in praecedentibus sufficienter determinatur de substantia, quantitate et cae-
teris, et haec sex nascuntur ab illis: quia actio et passio a qualitate, quia a naturali potentia et impo-
tentia, ut diximus; quando et ubi a quantitate, quia a loco et a tempore; positio et habitus a relatione.
Ordinatio enim partium totius ad seinvicem et ad suum totum respectu loci fuit causa positionis
30 quae est praedicamentum; ordinatio autem est relatio. Adiacentia etiam sive relatio corporis ad cor-
pus fuit causa habitus. Unde et sufficienter pertractatur de his, satis enim manifestantur in suis cau-
sis.

Et praeter hoc: determinare naturas horum essentielles magis convenit physico sive primo phi-
losopho quam logico. Et his de causis agitur de his hic sermone aggregato.

Sed quaeritur quare magis determinat de agere et pati quam de reliquis; dat enim proprietates horum, et non aliorum.

Et fortassis hoc est propter dignitatem <P 60rb> generum; dignius est enim res quam modus, et ita agere et pati quam quando et ubi.

5 Sed quaereret adhuc aliquis propter quid non agitur de his, scilicet agere et pati, in separatis partibus sed coniunctim.

Et hoc est quia coniuncta sunt in esse et in cognitione: in esse quia posito uno, ponitur reliquum, et destructo uno, destruitur reliquum; et quia in esse, ideo in cognitione, quia sicut res sunt ita cognoscimus eas. De aliis autem quattuor coniunctim propter hoc quod breviter vult pertransire.

10 Item, intellige hic quod “actio” et “passio” per se sunt nomina generum, significant tamen magis per modum relationis, et ideo nominat ipsa per “agere” et “pati”; et similiter est de situ esse et positione.

Sed iam est quaestio utrum actio et passio possunt esse genera prima. Et quia nulla duo genera prima communicant idem secundum rem; actio autem et passio communicant idem secundum rem, 15 quia motum: non erunt actio et passio genera prima.

Et praeter hoc: motus praedicatur de actione; aut igitur addit aliquid actio super motum, aut nihil. Si nihil addit super motum, tunc erit convertibilis cum motu, et ita omnis motus est actio; sed passio est motus: erit ergo passio actio. Si ergo addit aliquid, aut <M 34va> illud erit accidentale, aut essenziale. Si accidentale, cum illud quod sic se habet non sit in genere per se, ut homo albus, 20 non esset actio in genere. Si autem addit essentialem tunc est species motus, et tunc per eandem rationem species motus passio erit. Ex quo relinquitur quod actio et passio non sunt genera prima.

Et praeter hoc actio et passio consequuntur naturalem potentiam vel impotentiam; et haec non sunt genera prima sed sub eodem genere: multo magis non erunt actio et passio duo genera prima.

Et praeter hoc: actio consequitur qualitatem activam et passio passivam; et haec sunt sub eodem 25 genere, igitur actio et passio; non ergo sunt genera prima.

Primum solvitur per hoc quod duo genera prima non communicant idem formale sed idem materiale, et motus non est formale sed materiale et ens in potentia respectu actionis, passionis.

Secundum solvitur per hoc quod actio addit supra motum, et non accidentale sed essenziale; non tamen est species respectu ipsius, quia motus non est forma respectu actionis, et genus primum est 30 forma.

Reliqua duo solvuntur per hoc quod diversitas in causa efficiente non est causa diversitatis in genere, nec identitas causa identitatis. Unde quamvis naturalis potentia vel impotentia sint sub eodem genere, similiter qualitas activa et passiva, non tamen actio et passio, sed remanent genera diversa, quia identitatem causae efficientis non sequitur identitas in generibus sed identitatem causae 35 formalis; sed non est eadem causa formalis actionis et passionis.

Sequitur quaerere utrum facere et pati recipiant contrarietatem, et quia contraria communicant in materia et differunt in forma, et quae sic se habent sint sibi invicem activa et passiva; cum actio et passio non sunt sibi invicem activa et passiva, in actione et passione non erit contrarietas.

5 Et dico quod hoc verum est nisi gratia qualitatum, verbi gratia in eo quod est calefacere et frige-
facere non est contrarietas ratione actus, quia hoc remanet in utrobique commune, sed ratione eius
quod est calidum et frigidum, et haec sunt sibi invicem activa et passiva. Intellige ergo quod dicit,
Recipit, etc. (9, 11b1), sic facere recipit contrarietatem et pati recipit contrarietatem. Et quia “plus”
et “minus” dico in quo est plus et minus de contrario, cum recipiant contrarietatem, patet etiam
quod plus et minus.

10 Quoniam autem quando et ubi consequuntur quantitatem, positio et habere relationem, cum in
his non sit contrarietas, neque magis vel minus, neque in istis erit contrarietas, neque magis vel mi-
nus.

Et haec de praedicamentis sufficiant.

LECTIO 17

Quotiens autem solet opponi, etc. (10, 11b16) Haec est pars in qua determinat ea quae consequuntur ipsa praedicamenta, sive pars de postpraedicamentis. Sed quia praedicamenta non possunt considerari nisi dupliciter, scilicet aut in se aut in suis essentiis aut prout quaedam comparantur ad quaedam, <P 60va> verbi gratia accidentia ad substantiam, non dividitur haec pars nisi in duas: quarum prima est de consequentibus ipsa praedicamenta secundum quod considerantur in se et in suis essentiis; secunda est de consequentibus ipsa prout quaedam comparantur ad quaedam, scilicet accidentia ad substantiam, et incipit ibi: *Motus, etc.* (14, 15a13) Ex iam dictis, scilicet ex modo dividendi, patet harum sufficientia et ratio ordinis.

10 Item, quia praedicamenta secundum quod considerantur in se et in suis essentiis non possunt considerari nisi aut prout prima genera comparantur inter se, ex hoc autem nascitur oppositio; aut prout fit comparatio in eodem genere, et hoc non contingit nisi dupliciter, quia aut secundum quod genus comparatur ad speciem quae sub ipso est, et ex hoc nascitur prius et posteriorus, aut secundum quod species quae sunt eiusdem generis comparantur <M34vb> ad se invicem, et ex hoc nascitur simul.

15 Prior autem partium non potest dividi nisi in partes tres: quarum prima est de oppositione; secunda de prius, et incipit ibi: *Prius autem* (12, 14a26); tertia de simul, et incipit ibi: *Simul, etc.* (12, 14b24). De divisione autem partis posterioris patebit suo loco. Et ex iam dictis patet sufficientia et ratio ordinis, cum prior sit comparatio generum inter se quam comparatio in genere, et in genere prior est comparatio generis ad speciem quam specierum inter se, cum genus sit primum. Ex iam dictis etiam potest patere qualiter possit haec divisio reduci ad bimembrem divisionem.

20 Prima igitur istarum partium inscribitur “capitulum de oppositione”, cuius duae sunt partes primo: in quarum prima est sermo de oppositione in universalis; in secunda, ut ibi: *Quaecumque igitur, etc.* (10, 11b24), de oppositione in particulari. Et patet sufficientia et ratio ordinis ex saepe dictis in consimili.

25 Prima autem harum adhuc in duas penes duas quaestiones quas determinat: quarum prima est quot sunt oppositiones, quam determinat in parte prima; secunda est quae sunt, quam determinat in parte prima; secunda est quae sunt, quam determinat in numerando in parte secunda, et incipit ibi: *aut ut ad aliquid, etc.* (10, 11b17-18) Et patet sufficientia quantum ad pertractationem in universalis, et similiter ordo quaestionum.

30 In prima ergo parte sic procedit: primo dat intendum cum dicit, *Quotiens, etc.* (10, 11b16); secundo exequitur cum dicit, *Dicitur autem, etc.* (10, 11b17), et est solutio primae quaestionis, et est per numerum oppositionum; dicit enim quoniam quattuor sunt.

35 Et tunc incipit pars secunda cum dicit, *aut ut ad aliquid, etc.* (10, 11b17-18), ubi solvit secunda quaestionem, et primo solvit per oppositionum enumerationem, ut patet ex littera, secundo, ut ibi:

Opponitur enim, etc. (10, 11b19), per exemplarem declarationem, ut similiter patet ex littera. Et terminatur pars quae manifestat in universali.

Et sequitur pars quae manifestat in particulari, et dividitur in duas: quarum prima est de generibus oppositionum in se; secunda est de eorundem differentiis, quae incipit ibi: *Quoniam autem privatio*, etc. (10, 12b16) Et harum patet sufficientia et ratio ordinis, cum prima pertineat ad manifestationem absolutam, secunda ad comparatam.

Primae partis sunt quattuor genera oppositionum, de quarum numero et ordine patebit inferius: prima est de primo; secunda, ibi: *illa vero*, etc. (10, 11b33), de secundo; tertia, ibi: *Privatio vero et habitus* (10, 12a26), de tertio; quarta, ibi: *Non est autem*, etc. (10, 12b5)

10 Est ergo prima de relative oppositis, de quibus demonstrat unicam conclusionem, quam primo proponit cum dicit, *Quaecumque igitur*, etc. (10, 11b24), secundo ostendit per inductionem, et primo in his quae sunt ad aliquid et dicuntur secundum casum similem cum dicit, *ut duplum*, etc. (10, 11b26), deinde in his quae dicuntur ad aliquid secundum casum dissimilem cum dicit, *sed et disciplina*, etc. (10,11b27), et in fine tunc concludit cum dicit, *Quaecumque ergo*, etc. (10, 11b24), et
15 plana est littera.

Est autem secunda de contrarie oppositis, de quibus demonstrat unicam solam conclusionem, et dat duas divisiones, et secundum hoc potest dividi, si placeat; nec sufficeret prima sine secunda, et recte ordinatur, et incipit secunda ibi: *Quaecumque vero talium sunt*, etc. (10, 11b38) In primis ergo proponit conclusionem quam intendit cum dicit, *illa vero*, etc. (10, 11b33), et est conclusio
20 opposita priori; secundo illam ostendit per demonstrationem exemplarem cum dicit, *neque enim bonum*, etc. (10, 11b35-36) Et plana est littera. Et potest demonstrari per priorem conclusionem demonstratam, si illa sit convertibilis, et constat quod ita est, quia concludit definitionem de definito.

Ostensa igitur hac conclusione, dat duas divisiones contrariorum, et primo primam, et secundo secundam, ut ibi: *Sed est horum medium*, etc. (10, 12a17), et potest dividi penes hoc; nec sufficeret
25 prima sine secunda, et recte ordinatur.

Est igitur prima divisio contrariorum <M 35ra> quod quaedam sunt mediata, quaedam immediata. Istam tamen non ponit sed supponit, et eius dividenda definit, et utramque definitionem explanat. Primo ergo definit immediata cum dicit, *Quaecumque vero*, etc. (10, 11b38), secundo mediata cum dicit, *Quorum vero*, etc. (10, 12a9-10), et tunc explanat <P 60vb> definitiones, et primo
30 primam cum dicit, *ut languor et sanitas*, etc. (10, 12a4), et secundo secundam cum dicit, *Quorum vero*, etc. (10, 12a9-10) Et explanat primam per duo exempla: quorum primum est de eo quod dixit, ut in quibus fieri, etc. (10,12a1), et est languor et sanitas; secundum est quod dixit, *et de quibus praedicantur*, etc. (10, 12a1), cuius exempla sunt par et impar. Sed quia videntur magis privative
35 opposita quam contraria, ideo corrigit hoc exemplum, et ponit abundas aut perfectum, quae quandoque sumuntur pro pari et impari, improprie tamen; proprie enim dicitur numerus “perfectus” cuius

omnes partes simul sumptae aliquotae reddunt suum totum praecise, ut sex et xxviii; “abundas” dicitur quando partes aliquotae reddunt plus. Et sic explanat primam.

Et tunc explanat secundam, et similiter per duo exempla, et primo quantum ad hoc quod dicit, *in quibus*, etc.. (10, 12a1), cuius exemplum est album, nigrum, deinde quantum ad hoc quod dicit, *et de quibus* (10, 12a1), cuius exemplum est pravum et studiosum. Et patet prima divisio.

Est igitur secunda divisio quod quorundam contrariorum mediatorum medium est nominatum, quarundam vero non. Hanc autem divisionem extrahit hic a demonstratione sic: medium in coloribus est nominatum, in pravo et studioso non est nominatum; ergo quorundam contrariorum mediatorum medium est nominatum, quorundam non. Et in aliis verbis fit haec divisio quod contrariorum mediatorum quaedam habent medium positione dictum, quaedam privatione dictum. In hac autem demonstratione sic procedit: primo dat maiorem cum dicit, *Sed et horum* (10, 12a17), secundo minorem cum dicit, *pravi vero*, etc. (10, 12a19), tertio conclusionem cum dicit, *In aliquibus itaque* (10, 12a20) Et patent hae divisiones. Et terminatur pars de contrarie oppositis, scilicet pars secunda.

Est autem tertia de privative oppositis, et determinat tres quaestiones, et secundum hoc sunt tres partes: prima est quae sunt privative opposita, quam determinat in prima; secunda est an privatio et privari sint idem, quam determinat in secunda, ut ibi: *Privari vero*, etc. (10, 12a35); tertia est an idem sit modus oppositionis inter privationem et habitum et privari et habere habitum, quam determinat in tertia, ibi: *Opposita autem*, etc. (10, 12b1) Et satis declarant hae tres quaestiones naturam oppositorum privative; de ordine ipsorum non multum curandum.

Primam ergo quaestionem terminat per definitionem privative oppositorum, quae talis est: privative opposita sunt nata fieri circa idem ordine quodam. Huius definitionis, cum habeat duo membra, primo ponit primum cum dicit, *Privatio*, etc. (10, 12a26), cum sua declaratione exemplari, quae est hoc quod dicit, *ut visio et caecitas* (10, 12a26-27); et postea addit secundum membrum cum dicit, *universaliter*, etc. (10, 12a27), cum sua explanatione cum dicit, *Privari*, etc. (10, 12a29) Et est ratiocinativa talis: ubi non fuerit habitus vel actu vel aptitudine non potest esse privatio; ergo habitus est prior natura; et sic patet quod se habent circa idem. Solum dat declarationem maioris ab illo loco, *Privari autem*, etc. (10, 12a29), usque ibi: *Privari*, etc. (10, 12a35) Et sic terminatur quaestio prima.

Terminat ergo quaestionem secundam, scilicet an privari et privatio sint idem et habere habitum et habitus, et in partem negativam, et primo dicendo quod non sunt idem cum dicit, *Privari vero*, etc. (10, 12a35), secundo ostendendo, et primo ostensive usque ibi: *Nam si idem*, etc. (10, 12a39), secundo per impossibile, de ostensivo faciendo <M 35rb> conversivum. Ostensive sic: quorum neutrum dicitur de altero, illa non sunt idem; sed nec privari dicitur de privatione, nec e converso; ergo non sunt idem. Et eadem est ratio de habitu et habere habitum. Solum declarat minores sic:

- visus est habitus; habere autem visum non est visus; ergo habere habitum non est habitus. Dat huius maiorem et minorem. Et praeter hoc: caecitas est privatio; et caecum esse non est caecitas; ergo privari non est privatio. Et huius etiam dat maiorem et minorem, et manifestationem illationis cum subdit, *privatio enim*, etc. (10, 12a38) Et intricata est haec littera, et quia coniungit maiores, et
- 5 postea minores; reddantur tamen singula singulis, et planum erit quod dictum est. Sic ergo ostendit ostensive. Et tunc convertit syllogismum ostensivum in conversivum, et ostendit per impossibile quod prius ostensive sic: si idem esset caecitas et caecum esse, ergo utrumque de utroque diceretur et de eodem; sed consequens est falsum, ergo et antecedens. Primo dat ratiocinationem; secundo destruit consequens cum dicit, *nunc vero minime*, etc. (10, 12a41) Et sic terminatur secunda quaestio.
- 10 Terminat ergo quaestionem tertiam, scilicet, an sit idem modum oppositionis inter privationem et habitum et privari et habere habitum, et terminat ipsam in partem affirmativam, primo in dicendo quod modus oppositionis est idem, secundo hoc exemplariter ostendendo cum dicit, *nam sicut caecitas*, etc. (10, 12b3-4), et plana est littera. Et terminatur pars de privative oppositis, scilicet pars tertia.
- 15 Est autem quarta de contradictorie oppositis; de his autem determinat duas quaestiones, scilicet ultimas quae erant de privative oppositis, et satis <P 61ra> sufficiunt ad declarationem contradictorium secundum quod hic intendit; maxime etiam valent ad declarationem praedictorum. Et secundum has duas quaestiones sunt duae partes: in prima determinat primam; in secunda, ut ibi: *Concedantur*, etc. (10, 12b10), determinat secundam. Et est ordo, qui prius in parte quae praecessit.
- 20 Primam ergo quaestionem terminat in partem negativam sic: nihil quod est sub affirmatione vel negatione est oratio; omnis affirmatio vel negatio est oratio; ergo nihil quod est sub affirmatione vel negatione est affirmatio vel negatio. In hac sic procedit: primo ponit conclusionem dicens, *Non est autem*, etc. (10, 12b5); secundo minorem dicens, *affirmatio namque*, etc. (10, 12b6); tertio maiorem dicens, *horum vero*, etc. (10, 12b9) Et sic terminatur quaestio prima.
- 25 Terminat ergo quaestionem secundam in partem affirmativam, scilicet hanc, an ea quae sunt sub affirmatione et negatione habeant eundem modum oppositionis cum affirmatione et negatione, et primo indicando quod sic, secundo ostendendo exemplariter cum dicit, *sicut enim*, etc. (10, 12b12) Et plana est littera. Et terminatur haec totalis pars prima huius capituli, quae determinat de generibus oppositionum in se.
- 30 Et sequitur pars quae est de earundem differentiis, quae determinat diversitates oppositionum, et dividitur in duas primo, tamquam in partem principalem et partem ex abundantia: in parte principali determinat diversitates ipsorum universaliter; in parte ex abundantia, ut ibi: *Contrarium autem bono* (11, 13b36), facit specialem sermonem de contrariis, et super hoc erit sermo posterius. Et patet harum sufficientia et ratio ordinis ex saepe dictis in consimili.

Prima autem harum tres habet partes penes tres conclusiones demonstratas in illa parte: prima talis, privative opposita non sic opponuntur ut ad aliquid; <M 35va> secunda talis, privative opposita non opponuntur ut contraria; tertia talis, contradictorie opposita nullo aliorum modorum sunt opposita. Est ergo prima pars de prima; secunda de secunda, ut ibi: *Quoniam autem nec ut contraria*, etc. (10, 12b26); tertia de tertia, ut ibi: *Quaecumque vero tamquam*, etc. (10, 13a37) Nec demonstrat quartam conclusionem quae est ista, relative opposita non opponuntur ut contraria, quia haec conclusio est praedemonstrata de contrariis, quia non ut relative opposita. Et ob hoc patet harum trium conclusionum et trium partium sufficientia; ordo etiam patet intuitu. His etiam conclusionibus demonstratis, patet sufficienter diversitas et differentia oppositionum.

10 In prima ergo parte sic procedit: primo ponit conclusionem quam intendit cum dicit, *Quoniam privatio et habitus*, etc. 810. 12b16); secundo illam ostendit, et primo ostensive cum dicit, *neque enim*, etc. (10,12b17), secundo per impossibile cum dicit, *Amplius*, etc. (10, 12b21) Ostensive sic: omnia relativa opposita dicuntur oppositorum; nulla privative opposita dicuntur oppositorum; ergo non sunt opposita ut ad aliquid. Maior patet ex praehabitis; minorem ostendit exemplariter cum dicit, *neque enim*, etc. (10, 12b16) Per impossibile sic: omnia ad aliquid dicuntur ad convertentiam; sed si privative opposita sunt opposita ut ad aliquid, ergo dicuntur ad convertentiam; sed hoc est impossibile, ergo illud ex quo sequitur. Primo dat ratiocinationem cum dicit, *Amplius*, etc. (10, 12b21); secundo ostendit conclusionem esse impossibilem cum dicit, *sed non convertitur*, etc. (10, 12b24) Et terminatur pars prima quae demonstrat primam conclusionem.

20 Et sequitur pars altera quae demonstrat secundam. In illa ergo parte sic procedit: primo ponit conclusionem quam intendit cum dicit, *Quoniam autem neque ut contraria*, etc. (10, 12b26); secundo illam ostendit cum dicit, *Quorum enim* (10, 12b27), et hoc duabus rationibus. Prima talis: nulla quae sic nec opponuntur ut contraria mediata, nec ut immediata, opponuntur ut contraria; privative opposita non opponuntur sic, nec sic; ergo nec opponuntur ut contraria. Maior patet ex divisione contrariorum; minor vero cum habeat duas partes, utramque ostendit, primo primam cum dicit, *In privatione vero et habitu* (10, 13a3), secundo secundam cum dicit, *sed neque quorum est medium*. (10, 13a8) Et plana est littera. Quia vero istae partes explanantur per definitiones contrariorum praepositam mediatorum et immediatorum cum dicit, *Quorum vero contrariorum*, etc. (10, 12b27), usque illuc, *In privatione vero et habitu*, etc. (10, 13a3) Et patet littera. Et terminatur prima ratio.

30 Secunda quidem talis est: contraria permutantur ad invicem; privative opposita non permutantur ad invicem; ergo non opponuntur ut contraria, Maior est quod dicit, *Amplius in contrariis*, etc. (10, 13a18), sed antequam ponat minorem, probat hanc maiorem per inductionem in contrariis mediatis et immediatis, ut patet in littera. Quia tamen de pravo et studioso, in quibus erat inductio, potuit esse dubitatio, ideo ostendit quod ex pravo potest fieri studiosus, ut ibi: *pravus enim*, etc. (10,

13a23), cuius probatio si extrahatur erit talis: pravus per exercitationem potest acquirere dispositionem; sed dispositio est materialis ad habitum, quia dispositio firmata est habitus; ergo potest acquirere habitum, et sic fieri studiosus. Et dat maiorem et conclusionem, et aliam <P 61rb> adducit adhuc rationem ad idem cum dicit, *si enim bene mobilior* (10, 13a27), et est talis: mutatur per tantam
5 exercitationem, ergo magis per maiorem, et sic donec perfecte mutetur et fiat studiosus. Et hanc rationem dat plane in littera. Et sic sufficienter manifestatur ista inductio quae <M 35vb> erat dubia. Et plana est maior; ei ergo adiungit minorem cum sua explanatione cum dicit, *Verum in privatione et habitu*, etc. (10, 13a31), et est explanatio exemplaris. Et terminatur haec ratio, et patet secunda conclusio.

10 Et sequitur pars quae demonstrat conclusionem tertiam, in qua sic procedit: primo ponit conclusionem quam intendit cum dicit, *Quaecumque vero*, etc. (10, 13a37); secundo illam ostendit cum dicit, *in solis enim*, etc. (10, 13b2) Et hoc unica demonstratione principali quae talis est: in solis contradictorie oppositis necesse est alterum esse verum, alterum esse falsum; ergo quaecumque
15 tamquam affirmatio et negatio, etc. In hac sic procedit: solum dat maiorem cum dicit, *in solis enim*, etc. (10, 13b2), et ostendit. Et quia maior est exclusiva, cum duae propositiones exponant exclusivam, una negativa et altera affirmativa, primo explanat negativam ab illo loco, *Neque enim in contrariis*, etc. (10, 13b3), usque illuc, *In affirmatione vero et negatione* (10, 13b27-28), ubi explanat tunc affirmativam; prius autem negativam, quia magis indiget explanatione.

Ostendit igitur negativam una inductione et duobus syllogismis. Inductio est quod dicit, *Neque enim in contrariis*, etc. (10, 13b3), usque illuc, *Omnino autem*, etc. (10, 13b10), et manifestum est
20 ex littera qualiter primo inducit, secundo inducentia exemplariter ostendit. Primus quidem syllogismus talis est: nullum incomplexorum est verum vel falsum; omnia praedicta sunt incomplexa; ergo nullum praedictorum est verum vel falsum. Primo dat maiorem cum dicit, *Omnino autem*, etc. (10, 13b10), deinde minorem cum dicit, *porro omnia*, etc. (10, 13b11) secundus syllogismus talis est
25 per locum a maiori: magis videtur quod praedicta opposita sumpta secundum complexionem habent praedictum proprium quam sumpta sine complexione; sed sumpta cum complexione non habent; ergo ne sumpta sine complexione. Huius syllogismi maiorem cum sua declaratione exemplari ponit cum dicit, *Sed maxime videbitur*, etc. (10, 13b12-13), minorem vero cum dicitur *sed neque in his*, etc. (10, 13b15), et illam explanat, et primo in contrariis sumptis secundum complexionem cum dicit,
30 *cum enim sit Socrates* (10, 13b16-17), secundo in privative oppositis similiter sumptis ubi dicit, *In privatione vero et habitu*. (10, 13b20) Et satis iuxta haec patet de relative oppositis; vel dicatur quod non ponit exemplum in relativis, quia oppositio relativa in omnibus est in simplicibus. Et plana est littera. Et sic ostendit partem negativam.

Incipit ergo ostendere partem affirmativam cum dicit, *In affirmatione vero*, etc. (10, 13b27), et
35 sic proponit conclusionem quam intendit, et istam tunc exemplariter ostendit cum dicit, *languere*

- namque*, etc. (10, 13b29) Et ostensa sic affirmativa et negativa, tunc infert exclusivam quae fuit maior principalis demonstrationis cum dicit, *Quare*, etc. (10, 13b33), ex qua sequitur principalis conclusio quae est, *quaecumque vero tamquam affirmatio et negatio*, etc. (10, 13b34-35) Et terminatur haec totalis pars quae dicitur principalis quae determinat diversitates oppositionum. His enim
- 5 tribus conclusionibus hic demonstratis cum prima et secunda praecedentis partis sufficienter determinatur diversitas oppositionum, quia per hanc ultimam conclusionem habemus tres differentias, per primam vero et secunda huius partis habemus duas, per primam vero et secundam praecedentis partis unam, ergo patet quod sic habemus sex; nec possunt esse plures ex comparatione quattuor ad invicem, ut patet ex dictis in Porphyrio.
- 10 Sequitur pars quae dicitur pars ex abundantia, in qua facit specialem sermonem de contrariis, et propter hoc, quia ut dicit Boethius, non fit hic sermo de oppositione nisi propter hoc quod quae sunt in quolibet genere de contrarietate, et propter hoc magis facit sermonem specialem de contrariis quam de aliis oppositis. Vel secundum quosdam haec pars introducit propter contraria moralia, de quibus nihil tetigit, et hic determinat de illis et etiam aliis: unde inscribitur “ pars ex abundantia”.
- 15 In hac igitur parte v determinat <M36ra> conclusiones, quarum duae primae sunt de primis contrariis moralibus, scilicet de bono et malo, tres vero sequentes sunt de differentiis contrariorum ad alias oppositiones; et secundum hoc sunt duae partes, et incipit secunda ibi: *Amplius contrariorum*, etc. (11, 14a6) Et patet ordo et sufficientia quantum ad hoc quod nunc intendit de contrariis.
- 20 Prima autem harum continet duas conclusiones: quarum prima est quod bonum non est contrarium bono, sed malo; secunda est quod malo contrariatur et bonum et malum. Et secundum hoc duae sunt partes; <P61va> in prima determinat primam; in secunda secundam, ut ibi: *malo autem*, etc. (11, 14a1-2) In utraque ergo parte sic procedit: primo ponit conclusionem quam intendit; secundo illam exemplariter ostendit, ut patet ex littera. Et sufficiunt hae conclusiones quantum ad hoc quod nunc intendit de contrariis moralibus; nec est vis in ordine.
- 25 Secunda quidem harum continet tres conclusiones, et secundum hoc sunt tres partes: prima est ista, posito uno contrariorum, non oportet poni alterum, quam ostendit in parte prima; secunda est ista, contraria sunt circa idem specie aut genere, quam ostendit in parte secunda, ut ibi: *Palam vero*, etc. (11, 14a15); tertia est ista, omnia contraria aut sunt in eodem genere, aut in contrariis generibus, aut ipsa sunt genera, quam ostendit in parte tertia, ut ibi: *Necessarium autem*, etc. (11 14a19) Et in
- 30 omnibus his sic procedit: primo proponit conclusiones quas intendit, secundo illas ostendit, ut patet manifeste littera inspecta; et probatur quaeliter per inductionem vel per exemplum. Et plana est littera. Et quod per has tres conclusiones dat differentias contrariorum ad alias oppositiones pertractanti est manifestum; nam per primam differunt a relative oppositis, per secundam differunt a contradictorie oppositis – illa enim sunt circa idem numero – per tertiam differunt a privative oppositis, et
- 35 contraria etiam moralia a contrariis aliis a contrariis aliis a privative oppositis, et per hoc membrum,

in eodem genere (11, 14a19), quia per Aristotelem in quarto *Topicorum* privatio et habitus aut in nullo eodem genere sunt, aut non proximo. Contraria moralia ab aliis contrariis differunt per hoc membrum, *ipsa sunt genera* (11, 14a24-25); loquendo enim logice, nulla contraria sunt genera sed in genere. Et sic potest patere necessitas et sufficientia determinatorum; de ordine quidem non multum curandum. Et terminatur haec pars quae dicitur ” pars ex habundanti”, et totalis pars quae dicitur ” capitulum de oppositione”. Patet continentia, ratio ordinis partium et sufficientia.

Primum dubitabile est utrum oppositio sit forma entis, et quia secundum Aristotelem passio quae inest pluribus necesse est illis secundum aliquod commune inesse; oppositio autem inest omnibus generibus; illis ergo inest secundum aliquod commune; nihil autem est illis commune nisi ens; ergo oppositio erit forma entis. Et procedit ista ratio.

Sed quia nulla forma radicata indifferenter super ens et non ens est forma entis; et oppositio quantum ad aliquam sui speciem indifferenter sic radicitur: oppositio non erit forma entis.

Et dico quod oppositio primo et per se est forma entis et passio, sed quia est forma relati, et illud respectu cuius est relatio potest esse ens et non ens: ideo potest indifferenter alterum extremorum esse ens et non ens.

Sequitur utrum oppositio sit forma unius, aut multorum, aut unius relati ad alterum, et quia forma quae indifferenter denominat unum et multa, et unum relatum ad alterum indifferenter est forma unius et multorum et unius relati ad alterum, et sic se habet oppositio <M36rb> possumus enim dicere, “ Illud est oppositum” et “Haec sunt opposita” et “Hoc opponitur illi” – erit igitur indifferenter oppositio forma unius et multorum et unius relati ad alterum.

Et praeter hoc: quidquid est forma alicuius quodammodo ad aliud se habentis est forma relati; sed sic se habet oppositio; est ergo oppositio forma relati, et ita forma quae est relatio. Et procedunt hae rationes.

Sed quia relatio est forma eius quod est ens actualiter et in genere; oppositio autem non est universaliter forma eius quod est ens actu: non erit oppositio forma quae est relatio.

Ad haec respondetur per distinctionem relationis: est enim relatio aliqua super res, et aliqua super intentiones; verbi gratia relatio patris ad filium, super res, relatio oppositi ad oppositum super intentiones. Quia hoc quod dico “oppositum” dicit intentionem quamdam, relatio igitur secundum quod fundatur super res est forma eius quod est ens in genere et determinat aliquod genus; sed relatio quae fundatur super intentiones non sic se habet.

Sequitur de sufficientia et numero specierum oppositionis. Et dico quod differentiae oppositionum sumuntur respiciendo ad materiam oppositionis non ad formam. Cum ergo oppositio sit inter aliqua inter quae est diversitas: aut erit inter ea talis diversitas quod in nullo communicant, et sic est oppositio quae est contradictio; aut quod in aliquo communicant, et si hoc <P61vb> aut erit aliquid ens actu, aut aliquid potentia; et si est aliquid ens potentia, est oppositio secundum privationem et

habitu; et si est aliquid ens actu, aut est genus, aut materia; si genus, oppositio relativa; si materia, erit oppositio quae est contrarietas. Et sic patet numerus et sufficientia oppositionum; ordinantur autem secundum plus oppositionis.

5 Vel potest numerus sumi sic: cum non entis ad non ens non est oppositio, sed entis ad ens, erit omnis oppositio inter entia, aut inter ens et non ens; si autem inter entia, aut erit utrumque simul ens actu, et tunc sunt relative opposita; aut unum ens actu, reliquum in potentia, et tunc contraria; si autem fuerit inter ens et non ens, aut erit simpliciter non ens, et sic erit contradictio; aut non ens quadammodo, et tunc erit oppositio secundum privationem et habitu. Ordinantur autem secundum quod maiorem habent existentiam in extremi, ut praediximus.

10 Dubitatur consequenter de relativis, quid habeant de natura oppositionis, et quia in contradictione reperitur oppositio primo, reperietur oppositio in aliis per naturam contradictionis; opposita autem secundum contradictionem sese interimunt et non possunt simul esse, et relativa opposito modo se habent, quia posita se ponunt et simul sunt: in relativis ergo non est aliqua oppositio.

15 Sed hoc solvitur per hoc quod habent naturam oppositionis eo quod non possunt simul esse in eodem secundum quod relativa sunt, quia non sunt relativa neque dicuntur ad se invicem secundum quod accidit ea esse in eodem, quia paternitas in uno non ponit filiationem in eodem, sed interimit respectu eiusdem; sequitur enim, “Si iste est pater istius, non est filius eiusdem.”

Intellige igitur, secundum Boethium, illud esse commune omnibus oppositis, quia opposita non possunt simul eodem inesse secundum idem et in eodem tempore.

20 Quaeritur consequenter quare istae differentiae, mediatum <M36va> et immediatum, non sunt possibles in oppositis relative sicut in oppositis contrarie.

Et dicendum quod istae differentiae non sunt possibles nisi in oppositis illis in quibus extrema sunt inter se miscibilia; et scimus quod non sic se habent extrema oppositorum relative: et ob hoc non sunt quaedam mediata, quaedam immediata. Similiter quidem et in aliis nisi in contrariis.

25 Sequitur quaerere de contrarie oppositis, et primo dubitatur super hoc quod dicit, scilicet contraria non esse ad aliquid. Haec enim est vera: “Omnia contraria in quantum contraria sunt ad aliquid” – contrarium enim dicitur ad aliquid – sed omnis propositio vera cum reduplicatione est vera sine reduplicatione; ergo haec est vera, “Contraria sunt ad aliquid”: ergo hoc ipsum quod sunt, dicuntur aliorum.

30 Et dicendum quod haec est duplex, “Contraria in quantum contraria sunt ad aliquid”, eo quod reduplicatio potest reduplicare intentionem contrarii, et sic vera est, sed est paralogismus secundum quid et simpliciter; vel potest reduplicare essentiam contrariorum sive significatum nominis, et sic est falsa. Et tenet argumentatio.

Consequenter dubitatur de hac divisione contrariorum, quaedam sunt mediata, quaedam immediata, quia si omnis motus est a contrario in contrarium, et in omni motu est medium, quia omnis motus fit in tempore, erunt omnia contraria mediata.

Et fortassis hoc concederet naturalis philosophus, non tamen logicus, physicus enim non ponit contraria immediata, quia eius consideratio non abstrahitur a motu et a materia, unde ponit medium inter sanum et aegrum quod dicitur “neutra dispositio”; sed logicus considerat res ut sunt in motum esse et non in moveri”; unde ponit quaedam contraria non habere medium, et maxime quae determinantur per aequalitatem et inaequalitatem et reducuntur ad privationem et habitum, ut sunt sanum et aegrum et huiusmodi – sanitas enim consistit in indivisibili sicut aequale – unde in his non ponit medium.

Sed tunc quaeritur de bono et malo, in quibus est medium secundum Aristotelem licet indeterminatum et tamen determinatur per aequalitatem et inaequalitatem et reducuntur ad privationem et habitum.

Sed intellige quod “malum” dicitur dupliciter: uno modo nihil aliud est nisi defectus boni, ut vult Augustinus in *XI° De civitate dei* et Anselmus in libro *De malo*, et sic reducuntur bonum et malum ad habitum et privationem et determinantur per aequalitatem et inaequalitatem et consistit bonum in indivisibili, et horum sic nihil est medium, et sic dicunt theologi et ponunt; sed alio modo dicitur “malum” habitus malus, secundum quod dicitur “sicut ex saepe bene agere fimus boni, sic ex saepe male agere fimus mali”, et hoc modo habent bonum et malum medium, et hoc modo considerat logicus. Sic igitur contrariorum quaedam sunt mediata, quaedam immediata. Nec obstat quod hic obicitur a quibusdam; omnia contraria sunt posita sub eodem genere et maxime distantia, ergo omnia sunt mediata.

Et quia li “distantia” non nominat distantiam in situ, neque immediationem secundum distantiam in essentia, scilicet hoc non esse hoc, illud ergo non cogit.

Quaeritur quare non definit contraria.

Et intellige quod satis est manifesta ratio eorum ex dictis antiquorum in parte quantitate, cum ipsi definiant contraria quae posita sunt sub eodem genere et maxime distantia.

Sed dubitatur de definitione contrariorum mediatorum: non enim videtur convenire omnibus; quaedam enim sunt quorum alterum necesse est inesse suo susceptibili, ut igni calidum.

Sed dicendum quod hoc non est naturam oppositionis sed magis per naturam oppositi, quia receptum est in recipiente per naturam recipientis et non recepti.

Sequitur propter quid quorundam contrariorum medium est nominatum, <M36vb> quorundam non.

Et dicendum quod in illis in quibus extrema sunt miscibilia et secundum determinatam proportionem in his est medium nominatum, ut in coloribus; in aliis autem, cum sit medium quod solum fit

per defectum illius extremitatis quae est magis ut habitus, scilicet primo, et ex consequenti per defectum alterius, non est medium nominatum nisi per negationem utriusque, cum illis nihil possit esse commune: et sic in quibusdam medium est nominatum et in quibusdam non.

5 Sequitur de privative oppositis, et primo dubitatur de difinitione privative oppositorum: videtur enim convenire contradictioni, quia affirmatio et negatio sunt nata fieri circa idem ordine; nam affirmatio est prior negatione.

Sed dicendum quod affirmatio se habet ad negationem tamquam minor numerus ad maiorem: uno modo ut species opposita, et sic sunt coaequevae; alio modo sicut pars ad totum, et sic etsi ibi ordo, sed sic non habent oppositionem.

10 Quod autem obiciunt quidam quod convenit contrariis, hoc nihil est, quia et si habeant fieri circa idem, non tamen circa idem ordine.

Quaeritur postea quare non dicitur aliquid privari nisi in tempore aut post tempus in quo natum fuit habere habitum.

15 Cuius causa est quod cum natura operetur propter habitum et determinatum est tempus naturae in quo debet complere rem secundum habitum, si non complet tunc primo, decetur esse privatum, et sic in tempore aut post tempus in quo natum fuit habere habitum; privatio enim non est nisi defectus habitus; sic etiam naturaliter est ordo inter privationem et habitum, quia habitus naturaliter praecedit privationem, etsi non semper tempore, et non est privatio aliqua essentia sed solum defectus essentiae. Nec est ordo in aliis sicut in his: in relative enim oppositis non, quia simul sunt natura; nec in 20 contradictoriis, quia ens ad non ens non habet comparisonem; nec in contrariis, eo quod contraria sunt aequaliter respectu unius materiae vel potentiae; in solis igitur oppositis secundum privationem et habitum.

Item intellige hoc quod dicit Aristoteles quod modi privationis sunt iuxta modos negationis, sed negatio duplex est: quia simpliciter, ut vox dicitur invisibilis; et cum potentia recipiente, ut 25 quando aliquid est aptum natum habere quod non habet, et hoc potest esse dupliciter; aut enim quia aptum natum est habere id de natura sui generis, non tamen habet, sicut talpa de ratione animalis est apta nata habere visum, non tamen habet visum; aut quia de natura propria, sicut homo caecus, et hoc adhuc dupliciter; aut enim dicitur privari quia omnino non habet illud, et sic sumitur hic “privatio”; aut quia habet hoc non bene vel non fortiter sed debiliter; primo autem modo sumendo privationem 30 reducitur ad negationem.

Sequitur postea de contradictorie oppositis, et primo quaeritur quare non definit contradictorie opposita ut prius privative opposita.

Et dicendum quod satis declarat ea ad quae determinatur haec oppositio, et hoc sufficit hoc loco, quia diffusius et subtilius in libro *Perihermeneias* <P62rb> habet de huiusmodi divisione per-

tractare; quod enim ibi quaeritur circa enuntiationem per se et primo hoc est oppositio et maxime contradictio, ut patebit suo loco.

5 Sed dubitatur de contradictione, an sit oppositio sive relatio: cum omnis oppositio sit relatio, et entis ad non ens non est relatio, cum relatio sit positio duorum simul entium in effectu, igitur nec oppositio.

10 Sed intellige quod entis ad non ens non est relatio nisi secundum quod est significare non ens tamquam ens, scilicet ex sermone; loquimur enim de non ente tamquam si esset ens. Et ex hoc ponunt quidam quod haec oppositio principaliter est in sermone, et per prius quam in rebus. Possumus tamen demonstrare oppositum sic: dicit Aristoteles in littera quod idem est <M37ra> modus opposi-
10 tionis inter ea quae sunt sub affirmatione et negatione qualis est inter affirmationem et negationem; sed quod est sub affirmatione est res, ut ipse dicit; si ergo res prius est sermone, prius erit oppositio in rebus, et per consequens in complexis, quae scilicet dicuntur significare ipsas res.

15 Item, ubi primo est veritas et falsitas, ibi primo esse et non esse, et ubi primo esse et non esse, ibi primo affirmatio et negatio, quia esse est prima affirmatio, non esse prima negatio. Si ergo veritas et falsitas primo sunt repertae in rebus, et affirmatio et negatio erunt similiter, et consequenter in
15 incomplexis. Et procedunt istae rationes.

Item, intellige hic quod affirmatio dicitur uno modo qualitas propositionis affirmativae, et sic ab eadem nominatur propositio affirmativa; alio autem modo est affirmatio quaedam species enuntiationis, et definitur hic per orationem affirmativam. Et intelligitur hic “definitio” quaecumque expo-
20 sitio.

Et intellige quod magis per orationem quam per enuntiationem, et sic magis per genus remotum quam per proximum, quia intendit ostendere per istud quod id quod subiacet affirmationi et negationi non est affirmatio et negatio, et ut hoc faceret per magis immediata dat definitionem huius per genus remotum; magis enim est haec immediata, *non est oratio* (10, 12b9-10), quam “non est enun-
25 tiatio”.

Item, intellige quod per orationem definit hic affirmationem et in libro *Perihermeneias* per enuntiationem, et sic per genus remotum, et utraque harum definitionum logical est; in *Prioribus* autem quasi definitione physica, quae quidem est per principia rei, ut cum dicitur affirmatio est “alicuius de aliquo” et negatio “alicuius ab aliquo”, et est tamen aliquo modo formalis per hoc quod
30 dicitur “de” et “ab”. Sic igitur patet de generibus oppositionum in se.

Sequitur de oppositionibus in suis differentiis, et primo quaeritur quare hoc ipsum caecitas in genere dicatur ad aliquid: dicitur enim privatio habitus; privatio cum in specie autem non dicitur ad aliquid; non enim dicitur “caecitas visus” sed “privatio visus”.

Et causa huius est quod cum tango speciem, tunc tangitur illud ad quod dicitur, cuius est privatio; “caecitas” enim significat visus privationem; quia ergo habet in se quod dicitur, propter hoc non refertur ad hoc nisi secundum genus.

5 Sed iam quaeritur quare visus secundum genus non dicatur ad aliquid, ut dicatur habitus “privationis habitus”, neque secundum speciem, ut dicatur visus “caecitatis visus”, neque ut dicatur visus “caecitatis habitus” sic secundum nomen commune sicut dicitur caecitas “visus privatio”.

10 Et causa huius est quia semper ad primum refertur secundum, non autem econverso, et propter hoc neque commune nomen, <M37rb> “visus”, neque speciale ad privationem refertur, neque in genere, neque in specie; habitus enim semper natura prior est privatione, et aliquando tempore, ut supradiximus.

15 Postea dubitatur utrum oppositio privativa sit eadem cum oppositione quae est contrarietas, et apparet quod sic quia si privationi subest forma aliqua, illa est alterum contrariorum, quia non sanum, secundum quod “non” dicit privationem, est aegrum; et necesse est privationi aliquam formam subesse, quia si non, materia existens sub privatione esset praeter formam, et hoc est impossibile; relinquitur ergo quod forma quae subest privationi est alterum contrariorum, et ita privatio reducitur ad contrarietatem.

20 Ad quod dicendum quod forma quae subest privationi existenti circa materiam est alterum contrariorum, quia non calidum est frigidum; sed forma quae subest privationi existenti circa subiectum, cuiusmodi est caecitas, non est alterum contrariorum, quia habitus privationi non subest forma.

25 Sed quia omnia contraria participant eadem naturam secundum plus et minus, sicut album et nigrum naturam lucis; quod autem magis participat illam naturam se habet per modum habitus, <P62va> et alterum per modum privationis: alterum ergo contrariorum reducitur ad privationem. Et haec ratio procedit; alterum enim contrariorum est privatio respectu alterius.

30 Postea quaeritur utrum in illis in quibus unum naturaliter inest contrariorum possit esse mutatio in alterum; et si non potest esse mutatio, in quibus alterum contrariorum naturaliter inest, cum cuilibet specie insit naturaliter aliqua proprietas quae non inest generi neque speciei oppositae, non est possibile fieri aliquam alterationem secundum aliquam speciem.

35 Et dicendum quod non est mutatio sic circa aliquam speciem ab eo quod naturaliter inest in oppositum, manente specie, sed potest esse mutatio ab opposito in oppositum eorum quae non naturaliter insunt, et sic alteratio.

Sed adhuc quaeritur, si non possit esse alteratio circa ignem, cum terminus alterationis sit generatio, non poterit ex igne generari aliud. Et scimus quod hoc falsum est.

40 Et solvitur per hoc quod non est haec alteratio circa ignem cum ex igne fit aer vel huiusmodi, quia alteratio est mutatio ab oppositum, manente subiecto; et cum ex igne fit aliud, non manet ignis, sed est haec alteratio circa materiam. Et hoc ostenditur sic: contraria differunt in forma et communi-

cant in materia; et calidum in igne et frigidum in aqua contraria, communicant ergo in materia; sed circa materiam est transmutatio possibilis a contrario in contrarium; potest ergo esse transmutatio a calido in igni in frigidum in aqua, et haec est transmutatio circa materiam.

Quaeritur ergo quare ignis non potest frigerieri, sicut aqua potest calefieri.

5 Et ponunt quidam quod aqua, purum elementum, non potest calefieri, sicut nec ignis purus potest frigerieri: hoc tamen adhuc dubitamus.

Dicamus ergo quod ignis est maxime secundum speciem et minimum habet de materia; nullo modo ignis manens ignis potest frigerieri; non sic autem est de aqua; unde solum ignis inter omnia non putrefit et solum aurum inter metalla, ut in quarto *Meteorum*.

10 Post haec dubitatur propter quid non est mutatio a privatione in habitum sicut econverso. Et apparet quod sic, quia cum ignorantia sit privatio scientiae, ab ignorantia ad scientiam fit mutatio.

Et praeter hoc: tria sunt principia cuiuslibet rei fiendae per naturam, scilicet materia, forma et privatio; sed prius est sub privatione quam sub forma; si ergo non esset mutatio a privatione in habitum, nihil fieret.

15 Sed distinguendum quod est privatio ante habitum et post: a privatione ante habitum fit mutatio in habitum, ut a non igne in ignem; nec sic intenditur hic de privatione, ut patet ex supradictis. Si est privatio post habitum: aut est eius quod est tantum a natura, et tunc non fit mutatio in habitum, et sic intenditur hic; aut est eius quod non est tantum a natura, ut ignorantia respectu scientiae – scientia enim non est tantum a natura – et fit mutatio.

20 Sed adhuc remanet quaestio quare a privatione eius quod est tantum a natura non fit mutatio.

Et dicendum quod sicut natura movet semel in esse et non multotiens, ita semel in bene esse et non multotiens, et ideo non fit caecus rursus videns, nec calvus iterum comatus; sic enim se habet quaelibet pars animae ad quamlibet partem corporis sicut tota ad totum, ut in principio secundi *De anima*: si igitur mortuus non iterum vivit, nec caecus iterum videt.

25 Si autem obiciatur quod aer privatus lumine potest iterum illuminare, et sic potest fieri in habitum regressus, et quod materia privata una forma potest iterum illam habere, intellige quod non loquitur de habitu nisi de illo qui intraneus est rei qui ad substantiam et essentiam rei pertinet, qui dum est res, secundum speciem est, et cum non est, non amplius manet nisi secundum materiam et aequivoce. Huiusmodi autem non est lux in aere, sed est extranea passio essentiae ipsius, et similiter
30 est de materia: non autem est aliqua forma de intraneitate materiae, cum materia una numero se habeat ad omnem formam.

Item, si obiciatur, "Hoc est caecum", demonstrato caeco, "ergo est aptum natum habere visum et non habet; sed omnis aptitudo est potentia praecedens actum aut reducitur in actum, aut aliqua potentia frustra", intellige quod quaedam potentia numquam reducitur ad actum, nec est inconveniens nisi sit potentia respectu alicuius speciei reducendae quae simul est contacta cum specie edu-
35

cenda, sicut est potentia in materia disposita a necessitate, sicut est in grano et in elemento; natura enim numquam agit frustra, nec deficit in necessariis.

Intellige, ergo, quod ista possunt simul stare, “aptum <P62vb> natum habere” et impossibile habere, quia remanet natura et essentia ad habitum, non tamen sufficiens ad suam operationem superducendam.

Sed si obiciatur tunc quod materia non est magis disposita a necessitate quam in principio, et in principio potuit natura educere, igitur multo fortius nunc potuit, intellige quod non; immo necesse esset organum resolvi in causam primariam, et omnes dispositiones redire ad eundem statum quo primitus fuerit, natura disponente et cooperante et speciem tandem inducentem, sed sic non esset idem organum quod prius.

Item, ad evidentiam praedictorum intellige quod privatio duobus modis est: est enim privatio circa subiectum, sicut <M37vb> caecum cui nulla forma subest, et post privationem talem non fit habitus, quia habitus privatio corrumpit aliquid de subiecto; et est privatio circa materiam cui subest aliqua forma, sicut non album, et post privationem talem fit habitus, nec corrumpit huiusmodi aliquid de subiecto.

Quaeritur postea si oppositio privativa sit eadem cum oppositione quae est affirmatio et negatio, et quia privatio et habitus communicant in potentia, verbi gratia caecum et videns communicant in eo quod est aptum natum videre, quia istud remanet commune utrobique, secundum hoc non habent oppositionem sed differunt tantum secundum actum affirmatum et negatum quod est videns et non videns; sed inter haec est contradictio: in privative igitur oppositis, secundum quod ibi est oppositio, est contradictio.

Sed solvitur per hoc quod potentia cum uno oppositorum et potentia cum altero non est eadem vel similis: unde non communicant privatio et habitus in potentia. Dato etiam quod potentia esset eadem, non est negatio similiter in privatione et contradictione, quia in contradictione negatio pura, in privativa oppositione negatio quae est privatio. Unde non est contradictio inter haec quae dico, “videns”, “non videns”, cum dico caecum esse quod est aptum natum videre non videns, videns quod est aptum natum videre et videns. Intellige tamen quod privatione supra communiter reducitur secundum aliquem modum ad negationem, non tamen privativa oppositio ad contradictionem.

Qualiter autem omnes oppositiones reducantur ad oppositionem quae est secundum privationem et habitum determinare ad praesens differimus, sed est super hoc specialis sermo in *X^o Metaphysicae*.

Quaeritur postea utrum inter affirmationem et negationem sit medium, et quia affirmatio et negatio sunt sub eodem genere, et est enuntiatio; quaecumque autem sic se habent medium habent: ergo erit medium inter affirmationem et negationem.

Ad quod dicendum quod id quod est affirmatio et id quod est negatio, sicut Socratem esse et Socratem non esse, non habent medium; sed hoc quod dico, “affirmatio”, et hoc quod dico, “negatio”, medium habent, et haec non opponuntur secundum affirmationem et negationem sed contrarie.

Et quia affirmatio et negatio in genere non habent medium, verbi gratia par et impar, multo magis non erit medium inter affirmationem et negationem quae est praeter genus, et hoc est contradictio: in contradictione ergo non erit medium.

Quaeritur postea quare oppositio quae est contradictio in omnibus est in complexis, et oppositio quae est secundum privationem et habitum in aliquibus est in simplicibus et in aliquibus in complexis, et similiter oppositio quae est secundum contrarietatem et oppositio relativa in omnibus est in simplicibus.

Ad quod dicendum quod quia oppositio quae est contradictio est secundum affirmationem et negationem, et affirmatio est oratio affirmativa, et negatio est oratio negativa, et haec dicuntur secundum complexionem, necesse est in omnibus contradictionem esse in complexis; sed oppositio relativa est inter ea quae sunt alicuius et determinati generis, et quae sic se habent sunt incompleta, secundum quod dicit Aristoteles, singulum incomplexorum aut significat substantiam, etc., ideo omnibus oppositio relativa est in simplicibus: et quia oppositio quae est secundum privationem et habitum et quae est secundum contrarietatem aliquando est inter ea quae sunt in genere, aliquando inter ea quae non sunt in genere, et in aliquibus est privativa oppositio, et similiter contrarietas in complexis, in aliquibus in incomplexis.

Postea dubitatur quantum ad partem quae est ex abundantia, et in primis potest quaeri quare magis <M38ra> facit specialem sermonem de contrarie oppositis quam de aliis oppositis.

Et quia contrarietas diversificatur quantum ad proprietates et dispositiones secundum quod contrahitur ad materiam, quod non contingit in aliis oppositionibus, ideo magis facit specialem sermonem de contrarie oppositis secundum quod contrahuntur ad materiam, cum prius fecit specialem sermonem secundum quod <P63ra> non contrahuntur, quam de aliis oppositis.

Sed cum contrarietas reperitur in materia naturali et morali, et in logica quaeri potest quare magis contrahit contrarietatem ad materiam quae est bonum et malum quam ad aliam materiam.

Et dicendum quod quia bonum et malum se habent ad contrarietatem quae est in moralibus et ad contrarietatem quae est in logicis, et non sic se habet aliquid aliorum, propter hoc magis contrahit contrarietatem ad materiam boni et mali quam ad aliam.

Sequitur dubitatio de prima conclusione, sic: quod dicitur de quolibet non habet contrarium; bonum dicitur de quolibet; ergo non habet contrarium. Maior sic patet: si diceretur de quolibet et haberet contrarium, diceretur de suo contrario. Minor sic patet: bonum et unum convertuntur, ut habetur in libro *De consolatione philosophiae*; sed unum dicitur de quolibet; ergo bonum.

Item, ostendit Boethius quod malum nihil est, et idem dicit Augustinus his verbis, “mali nulla est natura, sed omissio boni mali nomine denotatur”: ergo bonum et malum aut sunt privative opposita aut negative, et non contrarie.

5 Similiter, iuxta hanc conclusionem quaeratur de ultima conclusione, qualiter sunt genera, quia omnia contraria sunt in genere; bonum et malum sunt contraria: ergo sunt in genere.

Item, secundum Boethium, sunt in prima specie qualitatis.

Item, possunt responderi ad quaestiones factas per “Quale?”, ergo sunt qualitates vel qualia.

Item, si ipsa sint genera, aut sunt generalissima, aut non generalissima: si generalissima, non ergo sunt tantum x genera prima; si non generalissima, ergo sunt in genere.

10 Quod autem bonum non sit in genere apparet per convertentiam vel convertibilitatem quam habet cum ente, cum ens circueat omne et in nullo sit.

Ad haec ergo notandum quod bonum uno modo praedicat essentiam et substantiam cuiuslibet et non aliquod accidens additum supra substantiam, quod patet per hanc praedicationem, “Bonitas est bonà. Si enim bonum esset compositum ex substantia et accidente sicut album et caetera, denomina-
15 tiva falsa esset, sicut haec, “Albedo est alba”. Et hoc modo sumedi “bonum”, “bonum” est analogum ad primum bonum increatum et ad bona creata, et hoc modo bonum et malum non sunt genera, nec sunt in genere, nec contraria sed potius privative opposita vel negative: et sic dicitur de quolibet et convertitur cum ente et uno, et tunc sic describitur bonum, “Bonum est quod omnibus appetitur”.
20 Alio autem modo “bonum” praedicat accidens, et tunc sic describitur, “Bonum est ordinatum”, et sic non dicitur de primo bono. Et hoc modo contingit loqui de bono ut moralis vel ut logicus: si ut moralis, erunt genera ad quae reducuntur omnia quae moralis speculatur; si ut logicus, erunt in genere qualitatis.

Istud dicunt quidam istis verbis, “Cum bonum cuiuslibet reperiatur in suo opere, principium illius operationis aut est voluntas,” et sic est bonum moris, et sic bonum et malum sunt in genere dis-
25 positionis vel habitus, nec sic convertitur bonum cum ente; “aut natura,” et sic est convertibile cum ente, et non ens in genere. <M38rb>

Item, attende quod dicit, *sed ipsa sunt gnera aliorum existentia*, (11, 14a24-25) idest sunt rerum genera in existendo, idest in actualiter essendo, in ordinem rectificando et naturam conservando, secundum istud quod dicit Boethius, esse est “quod ordinem retinet servatque naturam”. Et
30 hoc modo sunt bonum et malum in actibus communiter et habitibus.

Item, attende quod non sic sunt principia aliorum quod non principiata sed sic et sic, sed non secundum idem genus causae: sunt enim principia formalia, et sic se habet genus respectu specierum – est enim genus principium formale respectu omnium specierum – sed alia sunt principia boni et mali in ratione causae efficientis.

Sed quaeritur adhuc quantum ad primam conclusionem quare bonum non est contrarium bono sicut malum malo.

Et quia bonum est recte ordinatum, quod convenit tantum uno modo, et malum est infinitum quia inordinatum, ideo non contrariatur bonum bono sed malum malo; est enim bonum uno modo, malum autem multifariam. Unde ponitur bonum quasi centrum in circulo et signum in portu, et ideo in *Arithmetica* Boethii comparatur aequalitati, quae quidem tantum uno modo est, malum autem inaequalitati, quae quidem multifaria est, secundum quod dicit Augustinus, malum dicitur discrepare a se et quodammodo a bono.

Sed adhuc quaeritur <P63rb> qualiter bonum et malum sunt contraria, cum bonum sit medium, malum autem extremitas; medietas autem extremitati non opponitur completa oppositione aut completa distantia.

Et dicendum quod bonum malo opponitur contrarie non secundum quod est medietas sed secundum quod est extremitas, secundum illud quod dicitur in secundo *Elenchorum*, secundum quidem rationem quae quid erat esse significat est medietas, secundum id quod est perfectum et bonum est extremitas: unde medietas secundum substantiam suam extremitati non opponitur sed medietas ad extremum comparata, et sic est completa distantia.

Sed adhuc quaeritur propter quid medium in habitibus opponitur extremitati contrariae, in coloribus autem non.

Et huius ratio est quod in habitibus imponitur medium ab indivisibili et a ratione medii; in coloribus autem non, sed potius a substantia. Unde accidit quod in habitibus potest medium considerari ut extremum secundum quod accidit ei perfectum et binum, et sic potest opponi contrarie; non sic autem in aliis.

Post haec dubitatur de secunda conclusione sic: album non est contrarium albo, nec nigrum nigro; igitur sic nec bonum bono, nec malum malo.

Item, bonum est contrarium malo et malum malo, aut ergo bonum et malum idem sunt, quod est impossibile; aut duo sunt contraria uni, quod est impossibile.

Et dicendum quod malum simpliciter non est contrarium malo sed quoddam malum cuidam malo, sicut simpliciter color simpliciter colori non contrariatur sed quidam cuidam, ut album nigro, et bonum simpliciter est contrarium malo simpliciter. Et ex hoc manifestum est quod non duo uni; non enim est unum et idem re et ratione malum simpliciter et quoddam malum, ut malum dictum per superabundantiam vel defectum.

Post haec dubitatur de tertia conclusione sic: contrarietas est oppositio, ergo est relatio; sed relatio est duorum actu existentium, ergo contrarietas erit eorum quae actu sunt; posito ergo uno, ponitur alterum, quod est contra tertiam conclusionem.

Sed dicendum quod auctor non loquitur de hac intentione, “contrarium”, sed de his quibus accidunt esse contraria.

Postea dubitatur <M 38va> de quarta conclusione: videtur enim quod contrarietas sit nata fieri circa idem numero, cum substantia una et eadem numero sit susceptibilis contrariorum.

5 Et dicendum quod non intendit negare quod contraria sunt circa idem numero sed quod circa idem numero sint actu; sed circa idem genere vel specie possunt esse actu, sed contradictio est circa idem actu.

Postea dubitatur de va conclusione adhuc super hoc quod dicit contraria esse in contrariis generibus; contraria enim sunt quae posita sunt sub eodem genere e maxime distant.

10 Sed intellige quod contraria sunt sub eodem genere remoto et possunt esse in diversis generibus, sed non remotis sed proximis: et hoc non est inconveniens.

Post has conclusiones manifestas, quaeratur si possit esse summe malum sicut summe bonum, et quia in quocumque genere est magis et minus et est maximum et minimum; et est maius malum et minus; ergo erit maximum et minimum malum.

15 Ad quod dicendum quod non est malum maximum, et possumus respondere per interemptionem ad hanc propositionem, “In quocumque genere est magis et minus, in eodem est maximum et minimum”; in genere enim corruptibilium est magis et minus, non tamen minimum.

Dico etiam quod non potest esse maximum malum, eo quod radicatur in bono; radicatur enim in ente, et quantum habet de ente tantum habet de bono.

20 In fine quidem hic natandum quod bonum et malum uno modo sunt contraria, alio modo privative opposita, ut pertractanti supradicta potest patere, et eodem modo omnes partes et species eorum, ut virtus et vicium, iustitia et iniustitia.

Et haec de oppositione sufficiant.

LECTIO 18

Prius autem alterum altero, etc. (12, 14a26) In parte ista est sermo de prius, et dividitur in duas: <P63va> in prima dat modos famosos prius; in secunda, ut ibi: *Videtur autem*, etc. (12, 14b10), addit quemdam modum non famosus, nec usitatum ante tempus Aristotelis, ut narrat
5 Boethius. Et patet sufficientia per hoc quod divisio est per immediata; et ratio ordinis, quia “Innata est nobis via, etc.”

Prima quidem harum dividitur in duas penes duas quaestiones quas determinat: in prima determinat primam, et est quot modis famosus dicatur “prius” cum dicit, *Prius autem*, etc. (12, 14a26), ut patet ex littera; in secunda, ut ibi: *Primo quidem et proprie*, etc. (12, 14a26-27), determinat secundam, et est quibus modis famosus dicatur. Et sufficiunt istae quaestiones quantum ad haec quod hic
10 intendit; et patet ordo quaestionum ex dictis in suo consimili.

Et prima quidem harum non dividitur, et plana est continentia, sed secunda dividitur iuxta numerum modorum famosorum in quattuor sicut quattuor sunt modi, de quorum numero et ordine patebit inferius et incipit secunda pars ibi: *Secundo autem quod non convertitur*, (12, 14a29-30) etc.,
15 tertia ibi: *Tertio vero*, etc. (12,14a35), quarta ibi: *Amplius supra ea*, etc. (12, 14b3-4) Et est primus modus prius tempore, secundus prius natura, tertius prius ordine, quartus prius dignitate. Tot ego sunt conclusiones, quas primo proponit auctor, secundo ostendit, et hoc per communem usum loquendi vel per exemplarem declarationem, ut patet littera inspecta, quia aliter non est demonstrare significationem nominum. Et terminatur totalis pars prima in qua dat modos famosos.

20 Et sequitur pars in qua addit modum non famosus et inconsuetum, in qua sic procedit: primo dicit quod praeter modos dictos videtur esse alter modus cum dicit, *Videtur autem*, etc. (12, 14b10); secundo dat illum modum cum dicit, *eorum vero*, etc. (12, 14b11), et est prius causalitate; et tertio declarat huiusmodi exemplariter cum dicit, *Quia vero sunt huiusmodi*. (12, 14b13) Et plana est littera. Et terminatur totalis pars de prius. Patet continentia, ratio ordinis partium et sufficientia.

25 Primum dubitabile est de ordine et numero modorum prius.

Sufficientia igitur sumatur sic: si alterum est altero prius, aut est prius secundum rem, aut secundum cognitionem; si ultimo modo, est prius modo tertio, sicut accidit in disciplinis quod dignitates et suppositiones sunt priores, secundum quod dicit Aristoteles, prius est omnino a quo facilius est doctrina; si primo modo, aut hoc est secundum esse, aut secundum aliquid quod est consequens esse; si ultimo modo, modus est quartus, secundum quod honorabiliores dicuntur esse priores – est enim honor aliquid quod consequitur esse – si primo modo, hoc dupliciter, aut secundum tempus, aut secundum naturam; si primo modo, primus modus; si secundo modo, hoc adhuc dupliciter, aut enim convertuntur secundum subsistendi consequentiam aut non convertuntur; si non convertuntur, secundus modus; si convertuntur, aut alterum est causa alterius ut sit, aut neutrum est causa alterius;
30 si ultimo modo, neutrum est prius altero aliquo modo prioritatis; si primo modo, quintus modus et
35

ultimus. Unde non possunt esse plures modi prioris; et iuxta modos prioris pateant modi posterioris, quia si aliquot modis dicitur *a* prius *b*, tot modis dicitur *b* posterius *a*. Sic ergo patet sufficientia.

Potest etiam dici quod ordinantur secundum quod magis famosi sunt: et sic patet ordo.

5 Sed adhuc dubitatur, cum non sit continuitas in tempore nisi a continuitate in motu, et in hoc non est continuitas nisi a continuitate in loco, prius et posterius in tempore erit a priori et posteriori in motu, et prius et posterius in motu a priori et posteriori in loco, quare ergo non dat in parte ista modum prioritatis secundum quem dicitur prius et posterius in loco vel in motu, cum in *Metaphysicis* de his facit mentionem.

10 Et solvitur faciliter per hoc quod non dat in parte ista nisi modos prioritatis ordinabilium in genere; sed ordinabilia in genere secundum quod huiusmodi non habent prioritatem et posterioritatem in loco vel in motu; abstrahuntur enim a loco et a motu secundum quod sunt in genere.

15 Ponunt tamen quidam quod dat intelligere hos modos per primum modum, scilicet iuxta prius in tempore, cum prius et posterius in tempore sit a priori et posteriori in motu, et prius et posterius in motu a priori et posteriori in loco; in *Metaphysicis* tamen ponit hos modos, quia ibi habet distinguere quotiens singulum dicitur; non sic autem hic, sed sufficit solummodo dare modos famosos quantum ad hoc quod hic intenditur, et sunt modi magis famosi quos dat.

20 Sed adhuc dubitatur, cum in *Posterioribus* sint duo modi, prioritatis, unus secundum quem dicitur aliquid prius quo ad nos, alius secundum quem dicitur aliquid prius quo ad naturam, quare non dat <P63vb> in parte ista istum modum prioritatis secundum quem dicitur aliquid prius altero quo ad nos sicut dat alium modum.

Sed solve quod quaestio supponit falsum, quia prius tempore est prius quo ad nos, et dat illum modum.

Sed tunc quaeritur quare in *Posterioribus* non dat nisi duos modos prioritatis, scilicet prius quo ad nos et prius quo ad naturam, cum tamen multo plures sint modi.

25 Sed solve quod causa est quia non demonstrat nisi effectus per causam vel causam perfectum, et effectus est prior causa quo ad nos, et causa prior effectui secundum naturam. Unde non est ibi sermo de prioritate nisi quo ad nos et quo ad naturam.

30 Sed adhuc est quaestio, cum universale prius sit particulari tamquam illud a quo non convertitur consequentia, utrum sit prius quo ad nos vel prius natura. Et quia prius <M41ra> est quo ad nos quod prius cadit in sensum, universale quam particulare vel sui singulare, secundum quod dicit Avicenna, si videatur animal distans, prius percipimus quod est corpus, et postea per maiorem approximationem quod est corpus animatum, et adhuc per maiorem quod est animal, et ultimo quod est hoc animal; relinquatur ergo quod universale est prius particulare quo ad nos.

35 Sed intellige quod huiusmodi iniversale non est universale simpliciter ut est universale per ambitum et continentiam quod maxime remotum est a sensu, sed est universale confusum, per confu-

sionem scilicet singularis generis, quod dicitur esse universale respectu singularis speciei, quia singulare speciei addit differentiam supra ipsum; sed huiusmodi non est simpliciter universale. Hac etiam distinctione solvitur contrarietas libri *Physicorum* et libri *Posteriorum*. Quia ergo prius natura est illud a quo non convertitur consequentia, et quia sic se habet universale respectu singularis – non enim convertitur subsistendi consequentia – erit universale prius natura singulari.

Sit ergo quaestio utrum sit prius secundum naturam intendentem et secundum naturam operantem, et quia omnis operatio naturae et etiam quaelibet est in singulari vel circa singulare, erit singulare prius universali secundum naturam operantem, et etiam secundum naturam intendem; si enim natura intendet universale, acquisito universale per motum super singulare, quiesceret natura a motu; non autem quiescit universale acquisito per motum super singulare: relinquatur ergo quod non est universale natura prius singulari quantum ad naturam intendentem.

Sed intellige quod universale est prius secundum naturam intendentem et operantem uno modo, quia non solum intendit natura ut fit universale, sed ut salvatur in esse, ut continua existente generatione in singularibus, et propter hoc non quiescit natura a motu existente universali, sed est ei motus continuus ut salvetur universale: sic igitur est prius universale secundum naturam intendentem. Est etiam prius secundum naturam operantem uno modo. Prius enim inducitur materiae forma universalis quam singularis, verbi gratia prius fit congregatio vel disgregatio in partibus materiae quam inducatur forma ignis vel terrae, <M41rb> et quam cito congregantur partes in corpus etiam inducatur forma quae est corporeitatis, et consequenter caliditas et frigiditas vel huiusmodi; est corporeitas magis forma universalis quam igneitas vel huiusmodi: relinquatur ergo quod per operationem naturae prius inducitur forma universalis quam singularis. Ergo universale est prius particulari quantum ad naturam operantem uno modo; alio quidem modo non, quia generatio isto homine per se, generatur homo per accidens.

Similiter quaeritur quare non definit “prius”.

Et causa est quia “prius” dicitur multis modis, et non est ei definitio una secundum istos modos, quare non fuit conveniens ponere aliquam definitionem eius quod est prius.

Item, quaeritur hic, cum contingat tempus esse prius tempore, et non secundum alium modum prioritatis quam secundum illum secundum quem dicimus aliquid esse prius tempore, erit ergo tempus alio tempore prius, et istud tempus quo alterum est altero prius erit prius illis duobus, et non nisi tempore, sicut patet discurrenti per alios modos prioritatis. Istud ergo tempus quo hoc fuit prius aliis duobus erit prius tempore omnibus aliis, et ita erit decursus in infinitum, aut ponemus quod non est tempus prius secundum tempus alio tempore.

Sed intellige quod immo sicut praeteritum tempus est prius praesenti et praesens futuro, sed non est tempus tempore prius secundum tempus quod ei accidit vel differat a sua essentia, sicut dicimus quod unitas est una non unitate quae ei accidit sed secundum seipsa, et quantitas quanta; sed si ho-

mo vel aliquod tale sit alio prius prioritatem quae est secundum tempus, est unum altero prius tempore quod differt a sua essentia.

5 Quaeitur consequenter, cum prius et posterius sint differentiae ordinis, quare magis appropriat ordinem tertio modo prioritatis, cum dicit quod elementa priora sunt descriptionibus secundum ordinem quam aliis.

Ad quod dicendum quod ordo omnino est secundum significationem intellectus, et quia elementa priora sunt descriptionibus secundum intellectum, propter hoc appropriat ordinem illo modo prioritatis secundum quod dicuntur elementa priora descriptionibus.

10 Item, <P 64ra> intellige quod in descriptione ordinis cadit locus, cum ordo sit parum et imparum rerum <M 41va> unicuique sua loca tribuens dispositio. Unde manifestum est pertractanti quod non omne prius est prius ordine proprie sumendo ordinem, nec est modus maxime proprius eius quod est prius; cuius signum est si transflectitur “prius” in adverbium, erit adverbium temporis et non ordinis. Item, dicuntur priora ordine de quibus prior est tractatus.

15 Item, intellige quod non est inconueniens aliqua esse simul tempore et alterum esse prius altero secundum naturam, et sic se habent quae convertuntur secundum subsistendi consequentiam et alterum est causa alteri.

20 Item, intellige quod non est inconueniens unum esse alio prius secundum unum modum prioritatis; sunt enim praemissae priores conclusione secundum ordinem, et alterum est prius altero secundum alium modum prioritatis; est enim conclusio natura prior praemissis, quia prius natura est a quo non convertitur consequentia, et sic se habet conclusio respectu praemissarum.

Item, intellige quod divisio prius hic data est divisio cuiusdam multipliciter dicti, scilicet dicti secundum prius et posterius: unde est partim generis in species, partim vocis in significationes, sicut diximus saepe de consimilibus divisionibus. Similiter quidem intellige de divisione simul.

Et haec de prius sufficiant.

LECTIO 19

Simul autem dicuntur simpliciter (13, 14b24) In parte ista est sermo de simul, et unicam solam determinat quaestionem, et est quibus modis dicatur “simul”, ex qua patet haec quaestio, quot modis dicatur. Et sufficiunt hae quaestiones quantum ad hoc quod hic intenditur. Dat igitur tres modos eius
5 quod est simul, reducuntur tamen ad duos, scilicet ad simul tempore et natura, et secundum hoc sunt tres partes, et incipit secunda ibi: *Naturaliter autem*, etc. (13, 14b27), tertia ibi: *Dicuntur autem simul naturaliter*, etc. (13, 14b32-33), de quarum sufficientia et ordine patebit inferius.

In qualibet autem istarum partium sic procedit: <M 41vb> primo dat modum; secundo declarat, et hoc aut exemplariter aut per communem modum et usum loquendi, cum non sit aliter de-
10 monstrare significationes nominum, ut patet manifeste ex littera; et in fine recolligit et pertransit, ut ibi: *Simul ergo*. (13, 15a3) Sunt ergo modi simul, simul tempore et natura, et “natura” dupliciter dicitur, aut quae convertuntur secundum esse et neutrum est causa alteri, aut quae ediverso dividuntur. Et terminatur capitulum de simul. Patet continentia, ratio ordinis partium et sufficientia.

Primum dubitabile de numero et ordine modorum simul, cum esse simul et esse secundum prius
15 et posterius se habent secundum oppositionem: igitur quot modis unum et reliquum.

Sumatur igitur sufficientia sic: si aliqua duo sint simul, non est dividere quod possunt esse simul secundum rem, aut secundum cognitionem; removetur ergo modus essendi simul secundum cognitionem.

Item, si sint simul secundum rem, non est dividere quod sunt secundum esse simul, aut secundum aliquid quod consequitur esse; illud enim quod consequitur esse est bonitas vel dignitas vel aliquid tale, et non est modus essendi simul secundum quod aliqua coadaequantur in bonitate, quia iste modus essendi simul non est distinctum, quia adaequatio secundum bonitatem est secundum aequalem accessum ad medium, et non est facile dinoscere quae aequaliter accedunt ad medium. Restat igitur dicere quod ea quae simul sunt tantum sunt simul secundum esse; et quae sic se ha-
20 bent, aut sunt simul tempore, et sic est primus modus; aut sunt simul natura, et tunc aut convertuntur secundum subsistendi consequentiam, et neutrum est causa, et sic est secundus modus; aut non convertuntur, sed dividunt secundum aequalitatem idem genus, et sic est tertius modus: et sic patet quod nec pauciores quam tres. Et ordinantur secundum quod magis fa<M 42ra>mosi sunt.

Ponunt autem quidam quod tertio modo prioritatis non respondet aliquis modus simul, quia ille
30 modus dicitur prius secundum ordinem; in ordine autem essentialiter est prius et posterius, simul autem nequaquam. Nec quarto etiam modo; et ponunt hoc esse, quia in universo est ordo et non simul. Et fortassis, si quis subtiliter investiget, inveniet quod aliqui non possunt diligi aequaliter ab aliquo. Si obiciatur ergo quod scientia consistit in speculatione subiecti et passionum de subiecto et de partibus et speciebus subiecti, et quaedam illorum se habent secundum prius et quaedam se-
35 cundum simul, et est modus aliquis prioritatis secundum quod quaedam sunt priora aliis in scientiis,

secundum quod dicit quod elementa sunt priora <P 64rb> descriptionibus secundum ordinem, et erit aliquis modus essendi simul respondens isti modo prioritatis, dicendum quod quamvis, quaedam eorum quae sunt in scientiis simul sunt secundum causam, non tamen secundum quod cadunt sub sermone simul sunt neque simul significantur.

5 Consequenter quaeritur de primo modo dicendi “simul”: videtur enim quaedam simul esse tempore quamvis generatio eorum non sit in eodem tempore.

Item, duobus existentibus in generatione, possibile est unum esse post generationem, et alterum non, quia potest occasionari ex superfluitate vel defectu materiae, vel ex indebita proportione virtutis agentis cum patiente, et sic non esse simul tempore, quamvis generatio eorum sit simul.

10 Ad primum ergo intellige sic quod quamvis aliqua dicuntur esse simul in tempore quorum generatio non est simul, tamen antonomastice dicuntur “simul in tempore” quae sunt simul tempore et quorum inceptio est in eodem tempore.

Ad secundum intellige sic, quod non dicitur eorum generatio simul quorum alterum post generationem habet esse, et alterum non, quia non est eius generatio completa quod non habet esse post generationem.

15 Item, intellige quod magis dicit, *quorum generatio* (13, 14b24-25), quam “quorum corruptio”, cum generatio sit via in esse, corruptio in non esse; “simultas” autem dicit esse.

Item, magis sunt sumendae nominationes penes habitus quam penes privationes.

Item, dubitatur de perpetuis quae dicuntur simul esse, non tamen sunt in tempore.

20 Et dicendum quod perpetua sunt simul tempore, et aliquo modo sunt in tempore, non tamen sic in tempore quod esse eorum mensuretur a tempore, secundum quod dicitur quod “tempus est numerus motus”; et quia motus facit distare quod est, est causa corruptionis, secundum quod dicitur “tabefiunt omnia sub tempore et omne opus animalis determinatur tempore; quod si excellat, necesse est ipsum corrumpi et deficere”; sic enim solum generabilia et corruptilia sunt sub tempore vel in tempore; perpetua autem non sic, sed sunt in tempore ut consideratur tempus secundum sui essentiam, secundum quod unum nunc perpetuitatis dicitur tota essentia temporis, et sic sunt in essentia temporis. Unde Augustinus distinguit tripliciter “semper”: semper aeternitatis de deo, semper aevi de angelo, semper temporis de mundo, et haec distinctio ponit Aristotelem non errare. Et intellige quod primo modo sumitur hic “simul tempore”, et liquet hoc quod dicit, *quorum generatio*, etc. (13, 30 14b24-25)

Item, dubitatur hic qualiter sunt simul quae ediverso dividunt idem genus, cum omne e diverso dividendum idem genus, semper unum est per modum habitus, reliquum per modum privationis. Sed hanc dubitationem praesolvi in Porphyrio. Qualiter etiam relativa dicuntur secundum convertentiam praenotavimus in capitulo de ad aliquid.

35 Et haec de simul sufficient.

LECTIO 20

Motus autem species sex sunt, generatio, etc. (14, 15a13) in parte ista est sermo de consequentibus ipsa praedicamenta prout quaedam comparantur ad quaedam, scilicet accidnetia ad substantiam, scilicet prout nata sunt fieri in substantia vel esse in substantia, et secundum hoc dividitur haec
5 pars in duas: in prima est sermo de motu; in secunda, ut ibi: *Habere autem, etc.* (15, 15b17), de habere. Per motum enim habent accidentia fieri in substantia, et tunc cum insunt, dicuntur haberi, et prius hanc fieri quam esse in; nec est pluribus modis comparare accidentia ad substantiam quam penes fieri aut penes inesse. Patet igitur sufficientia et ratio ordinis.

Prima autem harum adhuc in duas: in prima est sermo de motu in se et absolute; in secunda, ut
10 ibi: *Est autem quies, etc.* (14, 15b1), de motu in comparatione, scilicet de oppositione motus. Et non est considerare aliquid pluribus modis nisi in se et absolute, aut in comparatione, et absolutum prius est comparato.

Et prima harum adhuc in tres penes tres quaestiones quas determinat: in prima determinat primam, et est ista, quot sunt species motus, cum dicit, *Motus autem, etc.* (14, 15a13), ut patet ex littera; in secunda, ut ibi: *generatio* (14, 15a13), terminat secundam, et est ista, quae sunt species
15 motus, habito quot, et terminat istam dando species motus, ut similiter patet ex littera; in tertia <P 64va> quidem, ut ibi: *Alii itaque, etc.* (14, 15a14), terminat tertiam, et est ista, an species motus differant ab invicem, super hoc enim apud quosdam fuit dunitatio, et ideo adiungitur ista tertia quaestio, et determinatur, qua determinat patent aliae priores scilicet manifeste. Et sufficiunt hae
20 quantum ad hoc quod hic intenditur; ordo etiam patet in suo consimili.

Terminat igitur hanc quaestionem in partem affirmativam tali demonstratione: quorumcumque quodlibet vere potest negari a quolibet, illa differunt; sed specierum motus, quaelibet vere potest negari a qualibet; ergo differunt. Huius primo ponit conclusionem cum dicit, *Alii itaque, etc.* (14, 15a14); maiorem vero non ponit, cum sit per se nota; pro minore vero ponit eius probationem, quae
25 est inductiva, cum dicit, *non est enim generatio* (14, 15a15-16); fuit enim minor quaedam universalis, in fine etiam repetit conclusionem cum dicit, *Quare alii, etc.* (14, 15a32) Cum vero ponit probationem inductivam, quia omnes singulares inductionis sunt manifestae praeter unam, scilicet illam quae dicit quod alteratio nulla aliarum est, statim subdit eius ostensionem determinando haec quaestionem, an alteratio sit aliqua aliarum. Primo ergo dicit quod hoc habet dubitationem cum dicit, *In alteratione vero, etc.* (14, 15a17); deinde ponit dubitationis dissolutiones cum dicit, *Hoc autem non est verum.* (14, 15a20)
30

Primo ergo dicit quod non est verum quod alteratio sit aliqua aliarum cum dicit, *Hoc autem, etc.* (14, 15a20); secundo hoc ostendit cum dicit, *nam paene, etc.* (14, 15a20-21), et primo directe, postea indirecte cum dicit, *nam si eadem, etc.* (14, 15a25-26) Directe sic: quod alteratur nullo alio
35 motu movetur; ergo per locum a coniugatis, alteratio non est aliqua aliarum specierum. Inferens

huius ostenditur per inductionem cum dicit, *nam neque augere*. (14, 15a22-23) Primo ergo dat maiorem cum sua declaratione, et est maior quod dicit, *nam paene*, etc. (14, 15a20-21), declaratio quod dicit, *nam neque* (14, 15a22-23); et deinde conclusionem cum dicit, *itaque alia erunt*, etc. (14, 15a24-25) Ostensio inductiva plana est ex littera.

5 Indirecte igitur ostendit ducendo ad duo falsa: ad primum usque ibi: *Similiter et quod augetur*, etc. (14, 15a28), sic detur quod alteratio <M42va> sit eadem cum aliis; oportet igitur quod alteratur mox augeri vel minui, etc.; sed hoc est falsum, ergo primum. In hac sic procedit: primo supposita hypthesi quae est oppositum conclusionis praedemonstratae, infert consequens; secundo destruit consequens cum dicit, *sed non est necesse* (14, 15a27), et sic dicit ad primum. Ducit igitur ad se-
10 cundum sic: detur quod alteratio sit eadem cum aliis, oportet ergo quod augetur vel alia motione movetur alterari; sed hoc est falsum, ergo primum. In hac etiam sic procedit sicut in priori: supposita hypthesi, infert consequens, et tunc destruit consequens cum dicit, *sed sunt quaedam crescentia*, etc. (14, 15a29), et destruit quantum ad primam partem. Et hoc sufficit.

Ad sciendum autem quid sit “gnomo” oportet scire quid sit “consistere circa eandem diame-
15 trum”. Sciendum ergo quod ista duo rectangula quae dividuntur per duo aequalia, et eadem linea quae dicitur “diametrum”, dicuntur consistere circa eandem diametrum sic:

FIGURA

Hoc autem non contingit nisi illa duo rectangula sese contingant in angulis et non in lateribus. Quodlibet autem rectangulorum cum supplementis duobus appellatur “gnomon” sic:

20 FIGURA vel sic FIGURA

Sic igitur explanatur inductio quae probat minorem principalis syllogismi. Infert igitur principalem conclusionem dicens, *Quare alii*. (14, 15a32) Et terminatur pars quae manifestat de motu absolute.

Et sequitur pars quae manifestat de speciebus motus in comparatione, scilicet de oppositione motus, cuius duae sunt partes penes duas quaestiones quas determinat: et est prima, quid sit motui
25 simpliciter contrarium, quam determinat in parte prima cum dicit, *Est autem* (14, 15b1), ut patet in littera; et est secunda, quid motui contrarium secundum partem, quam determinat in parte secunda cum dicit, *his autem quae per singula*. (14, 15b1-2) Et patet ordo et sufficientia, cum non sit pluri-
bus modis considerare motum, et prius est aliquid simpliciter quam aliquid contractum in speciem.

Prima non dividitur, sed secunda continet sub se quattuor quaestiones, has scilicet: quid est con-
30 trarium generationi, et quid augmento, et quid loci mutationi, et quid alterationi. Et patet ordo in-
tuenti, quia non sunt plures species motus, et ordinantur iuxta faciliorem terminationem. Et secundum hoc sunt quattuor partes: in prima determinat primam cum dicit, *generationi corruptio* (14, 15b2); in secunda secundam cum dicit, *augmento diminutio* (14, 15b2) <P64vb>; in tertia tertiam, sed haec habet sub se duas partes, scilicet quid loci mutationi simpliciter sit contrarium, quam de-
35 terminat cum dicit, *secundum vero locum mutationi* (14, 15b3), et quidem loci mutationi secundum

partem quam determinat cum dicit, *et forte*, etc. (14, 15b4) – istae autem quaestiones non sunt possibiles de generatione et augmentatione, et causam dicemus inferius – in quarta quidem quarta, et haec similiter habet sub se duas quaestiones, scilicet has, quid alterationi simpliciter sit contrarium, quam terminat cum dicit, *nisi quis*, etc. (14, 15b8), et prius tamen dicit, antequam terminet, quod
5 *non est facile assignare*, etc. (14, 15b6-7), et quid alterationi secundum partem quam terminat cum dicit, *aut in contrarium*, etc. (14, 15b9), et explanat per simile in loci mutatione cum dicit, *sicut et in mutatione secundum locum*. (14, 15b10) Et terminatur haec pars totalis et totale capitulum de motu. Patet continentia, ratio ordinis partium et sufficientia.

Primum dubitabile est an sit motus, et quia in natura est aliquid ens potentia et aliquid ens actu,
10 et exit aliquid a potentia in actum; non autem est possibile quod aliquid exeat a potentia in actum nisi per motum: in natura est ponere motum.

Amplius, aliquid est coniunctum actui quod prius fuit distans ab actu; sed distans ab actu non coniungitur actui nisi per motum: in natura igitur erit motus.

Amplius, non est continuitas in tempore nisi a continuitate in motu; si ergo privemus motum,
15 priva-<M42vb>- bimus prius et posterius in tempore, et sic ponemus simul, et sic quaecumque fierent fierent simul; hoc autem est impossibile: impossibile est ergo privare motum, vel motum non esse.

Sed si sic, et non fuerit ab aeterno, et sic essent multa principia et non unum principium; exivit ergo de potentia in actum; sed non nisi per motum exivit; ergo motus de potentia in actum per motum, et per eandem rationem, iste motus per alium motum, et sic in infinitum: impossibile ergo est
20 motum exivisse de potentia in actum, vel motum esse.

Sed istud solvitur per hoc quod motus exivit de potentia in actum per mutationem vel motum qui non differt a sua essentia, sicut quantitas est quanta quantitate quae non est alia a sua essentia, et sic prohibetur infinitas.

25 Sequitur quaerere quid sit motus.

Et quia cuilibet existenti in potentia respondet actus respectu cuius est ens in potentia, cum mobile sit ens in potentia respectu motus, erit motus “actus existentis in potentia” sive mobilis.

Qualiter motus sit in genere supra notavimus in parte de quantitate.

Quaeritur consequenter qualiter generatio et corruptio nominentur hic “motus”, cum *quinto*
30 *Physicorum* dicantur “mutationes” et non “motus”.

Sed intellige quod generatio potest nominare duo: aut ultimam formae receptionem materia disposita a necessitate, et sic non est motus, quia non fit in tempore sed subito, quia in nunc, similiter intellige de corruptione, et sic intendit de his in *quinto*, et sic nominantur “mutationes”; vel potest nominare totam mutationem a principio usque in finem, in qua sunt multae alterationes et dispositiones
35 habilitantes materiam ad receptionem formae, et sic est motus, similiter intellige de corrup-

tionem, et sic sumuntur hic. Nec definit hic motum, sed sufficienter determinat de motu determinans quaestiones quas determinat quantum ad hoc quod hic intenditur, non enim secundum adeo subtilem pertractationem et adeo completam sicut in *Physicis* est hic sermo de motu.

5 Post haec dubitatur de alteratione sic: ad omnem mutationem requiritur loci mutatio, ut ostendit Aristoteles in *VIII Physicorum*, ergo ad alterationem; ergo quod alteratur alio motu movetur, cuius oppositum dicitur in littera.

Sed dicendum quod ad alterationem non requiritur loci mutatio ex parte mobilis sed ex parte moventis, quod patet ex verbo Aristotelis in *VIII Physicorum* dicentis quod movens aliquando est propinquius, aliquando longius.

10 Post haec dubitatur de hoc quod dicit, illud quod augetur non oportet alterari, cum dicit Aristoteles quod impossibile est augmentationem esse non existente alteratione.

Et dubitatur de exemplo: aut enim augmentatur gnomon vel quadrangulus, vel neutrum, aut utrumque; si neutrum, hoc est contra Aristotelem; si utrumque, contra, gnomon non fuit prius, ergo non augmentatur – est enim augmentum magnitudine praeexistenti additamentum.

15 Item, quadrangulus non augmentatur, cum nulla eius pars augmentetur, quia nec latera nec anguli.

Dicimus ergo quod est augmentatio duplex, scilicet physica et mathematica. Ad physicam <P65ra> exiguntur tres condiciones ad minus, scilicet: eius quod augetur quaelibet pars augeatur, et aliquo adveniente, et quod subiectum maneat, et haec est proprie dicta; et hanc praecedit alteratio; et haec est solum in animatis. Mathematica quidem augmentatio est quaelibet additio; et haec est in inanimatis; et hanc non est necesse praecedere alterationem; nec sequitur loci mutatio nisi quo. Et est haec in figuris. Et sic patet quod quadrangulus augmentatur et non gnomon, quia quadrangulus fuit et non gnomon.

25 Quaeritur postea, cum dicat Aristoteles in *V Physicorum* quod quies est privatio motus, quare ponitur hic contrarium motus.

Sed sumitur hic “contrarietas” in extensu.

Quaeritur consequenter quare non sunt duo motus contrarii in qualitate et ubi sicut in substantia, scilicet generatio et corruptio, et in quantitate augmentum et diminutio; non est enim aliquis correspondens alterationi, nec loci mutationi.

30 Sed de loci mutatione intellige quod si esset motus nominatus in ubi sicut est in substantia, haberet contrarium. Nunc autem, non est ita nisi per circumlocutionem ut dicatur “motus secundum locum”, et sic potest habere duo contraria, ut dicitur in littera. Similiter quidem est de alteratione, si sumatur ratio pro nomine ut dicatur “motus in qualitate”, habebit duo contraria secundum quod sumitur simpliciter aut secundum partem; non tamen sic est de generatione aut augmentatione si sumantur rationes pro nominibus.

35

Et causa est quia in substantia non est motus proprie sed mutatio, et quies motui et non mutationi proprie opponitur.

Item, substantiae nihil est contrarium; unde nec est motus, nec mutatio in contrariam substantiam. Similiter quidem et in quantitate; in quantitate enim non est motus, quia quantitas, cum sit
5 forma mathematica, est ante omnem motum et materiam, sed mutatio; quantitati etiam nihil est contrarium. Nec in substantiis igitur, nec in quantitibus, est dicere quietem secundum substantiam aut secundum quantitatem, aut in contrariam substantiam, aut in contrariam quantitatem mutationi.

De alteratione etiam intellige quare non habet contrarium.

Et causa est quia “alteratio” est dicta ab alteritate, quae est relatio aequiparantiae; unde nominat
10 utrumque sui extrema uno sui nomine, scilicet hoc nomine, “alterum”, et ideo alterationi sic significatae non est contrarium; non sic quidem est in aliis.

Quaeritur consequenter, cum generatio sit motus in substantiam, augmentatio in quantitatem, quare generatio est a non substantia in substantiam, et augmentatio non est a non quanto in quantum.

Et causa huius est quia generatio substantiarum est proprie mutatio et non motus; mutatio autem
15 est ex non ente in ens, et ideo est generatio a non substantia in substantiam. Augmentatio autem proprie motus est et non mutatio; motus autem, cum sit passio mobilis, requirit mobile, et sic est aliquo modo ab ente in ens; et ideo augmentatio est a quanto in quantum; tamen a non ente quoddam in ens quoddam – est enim augmentum praeexistenti magnitudini additamentum.

Quaeritur consequenter, cum motus sit in tempore sicut in loco, quare non dicitur “motus temporalis” sicut “motus localis”.

Et intellige quod locus est id ad quod terminatur motus; “ad quod” autem dicit terminum et finem; a fine etiam, secundum Boethium, est denominandum, Tempus autem non sic; non enim est id
25 ad quod terminatur motus sed id in quo est motus; est enim numerus motus, et in quo non dicit terminum aut finem sicut ad quod: unde nec denominandum: Possumus tamen dicere motum esse temporalem, quia in tempore; quia etiam omnis motus est in tempore, non potest manere species motus, motus in tempore.

Item, intellige quod motus est proprie de consideratione physici; aliquo tamen modo potest esse de consideratione logici, quia secundum divisionem motus penes id ad quod est <M43rb> motus;
30 secundum enim hanc divisionem est motus causa rerum praedicabilium quodammodo.

Si igitur obiciatur quod omnis causa praecedat suum effectum, ideo motus in antepredicamentis debet determinari, dicendum quod, quia motus est infinitus et non in se cognoscitur nisi per terminos; termini autem eius sunt res praedicabiles: necesse fuit <P65rb> praedicamenta praedeterminari ad hoc ut cognoscatur motus.

Nec obstat ergo quod hic obicitur: cum motus sit medium per quod reducitur res praedicabiles in esse, quare ante praedicamenta deberet determinari. Cum sit enim proprietas consequens individuum, et individuum non est in praedicamento nisi tamquam reductum, satis convenienter determinatur in postpraedicamentis.

5 Sequitur de speciebus motus. Et quia, secundum Aristotelem, tot sunt species motus, quot entis, non erunt tantum sex species motus.

Item, in *Physicis* dicit Aristoteles quattuor esse species motus. Intellige ergo quod in *Physicis* non nominat generationem et corruptionem “motus” sed “mutationes”, hic autem sumitur “motus”, in extensu sumendo motum.

10 Ad primum intellige quod cum dicitur “tot sunt species motus, quot entis”, sumitur ibi “motus” pro qualicumque exitu in esse de potentia ad actum; non sic autem hic. Sufficientia igitur sic potest sumi: omnis motus aut est substantialis, aut accidentalis; si substantialis, aut est ad substantiam, et sic est generatio, aut a substantia, et sic corruptio; si accidentalis, aut intra, aut extra; si intra, aut est in quantitate et ad perfectam magnitudinem, et sic augmentum, aut ad imperfectam, et sic diminutio; aut in qualitate, et sic alteratio; si extra, sic loci mutatio. Et sic patet quod non plures species motus; et sic potest reduci ad bimembrem divisionem. Nec intellige quod motus sit genus nisi prout omne superius dicitur esse genus respectu suorum inferiorum contentorum. Intellige ergo quod solum in illius generibus in quibus res sunt possibles movere et motui subici et motum terminare est motus; sed haec solum est in tribus generibus, ut ostenditur in *V*^o, scilicet in qualitate, quantitate et ubi: unde solum in his est motus. Generatio enim et corruptio non sunt proprie motus sed mutationes, sicut supradiximus, et sunt via in substantiam.

Et haec de motu sufficiant.

LECTIO 21

Habere autem multis modis, etc. (15, 15b17) Haec est pars de habere, et unicam solam intendit conclusionem, scilicet hanc, “habere” multis dicitur modis, quam primo proponit cum dicit, *Habere* (15, 15b17), secundo ostendit cum dicit, *aut enim*, etc. (15, 15b17) Et ostendere hanc est ostendere
5 speciales modos habendi; dat ergo modos habendi, et tot sunt partes quot sunt modi, de quorum numero et ordine patebit inferius.

Et in qualibet parte sic procedit: primo dat modum; secundo manifestat illum exemplariter, ut patet littera inspecta. Et tandem finem imponit dictis cum dicit, *Forte quidem* (15, 15b30) Et sic terminat has quaestiones de habere, quot sunt modi et qui. Et haec sufficiunt quantum ad hoc quod hic
10 intenditur. Et terminatur totalis pars de habere et totalis doctrina *Praedicamentorum*. Patet continentia, ratio ordinis partium et sufficientia.

Primum dubitabile de numero et ordine modorum habendi.

Sumitur autem sic: quod habetur aut est intra, aut extra; et si intra, aut est essentielle, aut accidentale; et si essentielle, est iste <M 43va> modus habendi secundum quem totum habet partes; si
15 autem accidentale, aut ergo accidentale quod est expansio, aut impressio; si expansio, secundus modus habendi, scilicet speciem, habere quantitatem; si impressio, primus modus, scilicet habere qualitatem; si autem quod habetur sit extra sive distans, aut habetur ut sit aliquid, aut ut conservetur in esse; si primo modo, cum hoc non possit esse nisi ut sit habens vel quod habetur – prius enim habet quidlibet esse, quam habeat vel habeatur – habetur tunc ut sit alterum, et sic est ultimus modus
20 habendi, secundum quem vir habet uxorem vel econverso; si autem secundo modo, aut ergo remanent ea quae nociva sunt habenti, sicut quae agunt in corrumpendo illud, aut non remanent; et si remanent, aut est utile propter ornatum, aut necessitate; si primo modo, quartus modus, scilicet habere anulum in digito; si secundo modo, tertius modus, scilicet habere vestimentum; si autem non <P65va> remanent, aut est in ratione continentis, aut non; si primo modo, sextus modus secundum
25 quod dicimur habere in modio grana; si secundo modo, septimus modus, scilicet habere possessiones. Et cum non pluribus modis sit habens et quod habetur, nec pluribus modis erunt modi habendi; et ordinantur iuxta famositatem; nec sunt plures modi famosi, et hoc est quod dicit, *Forte quidem*, etc. (15, 15b30)

Sed dubitatur de primo modo et secundo sic: nihil est in ratione habentis nisi habens esse completum; substantia autem non habet esse completum antequam sit quanta et qualis; nullus ergo est
30 modus habendi secundum quem habetur quantitas et qualitas.

Et praeter hoc: quia illud quod habetur advenit substantiae completae in esse ante habitum quantitatis et qualitatis; neque ergo qualitas, neque quantitas est id quod habetur.

Et dicendum quod qualitas aut quantitas potest haberi vel completa vel incompleta; sed completa advenit substantiae postquam completa est in esse, et hoc est post habitum qualitatis et quantitatis.

5 Sequitur postea propter quid habere ad aliquid, aut agere, aut pati, aut quando, aut ubi, etc., non sunt modi distincti sicut habere quantitatem et qualitatem.

Et dicendum quod habendo habitum, habemus ad aliquid; habendo aliam qualitatem, habemus agere et pati; habendo quantitatem, habemus quando et ubi; habendo membrum, habemus situm. Et satis etiam sub his datur intelligi habere habitum.

10 Post haec dubitatur, cum modi habendi sint consimiles modis essendi in, per Aristotelem in *Metaphysica*, propter quid non habemus modum respondentem ei qui est esse in sicut totum in partibus, aut genus in specie, quia species in genere continetur sub eo quod est habere partem.

Item, non habemus aliquem modum qui respondeat esse in sicut aliquid est in suo fine.

15 Et dicendum quod habere addit ad esse in dignitatem vel excellentiam; cum enim indignius est in digniori, tunc dicitur habere, et reliquum haberi. Unde non est modus habendi sicut partes habent totum, vel species genera, licet sint modi essendi in.

Item, esse in fine non est habere; habemus <M 43vb> enim quae actu sunt, non quae sunt potentia.

Item, quaeratur hic quare plures dat hic modos quam in *V^o Metaphysicae* vel in *Sex principiis*.

Sed dicendum quod hic dat specialiores, ibi communiores: unde hic plures.

20 Et quia habere vestes et possidere eas, videtur quod non differant tertius modus et septimus.

Sed patet ex dictis quod sic, quia quod habetur tertio modo removet nocivum agens corruptens, non sic quod habetur modo septimo.

Et sufficiant haec de habere.